



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo

Conring, Hermann

Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680

Judicium Theologicum Super Qvaestione, An Pax, qvalem desiderant
Protestantes, sit secundum se illicita?

urn:nbn:de:hbz:466:1-9585


JUDICIUM
THEOLOGICUM
SUPER

QVÆSTIONE, AN PAX,
qvalem desiderant Protestan-
tes, sit secundum se illicita?

EX
Principiis Christianis, sententiâ Ve-
teris Ecclesiæ, Summorumq; Pontificum
deductum:

lis, qui publica tractant, conscientiam suam curant, aut
alienam dirigunt, lectu utile ac necessarium;

*Operâ ac studio ERNESTI de Eusebiis
civis Romani.*



Sumptibus & Typis Theodosii de Sicecela
Armona:
Ecclesiopoli ad Insigne Pietatis,
Anno 1646.

JUDICIUM
THEOLOGICUM

SUPER

QUESTIONE, AN FAX,

system delibetant Proctas-

es, sit secundum de illis,

Principis Christianis, tenentis V-

cas Fochles, immo nup: Pontificum

deductum:

licet in his casibus, conscientiam suam exponant
etiam dignum, sed in his de necessitate;

Operas fidei ERNESTI de Eschen

sius Romani.

1746



Sumptibus & Typis Theobaldi de Siccata

Almonis:

Leobnopolis ad insigne Pictoris

Anno 1746.

INDEX
CONTENTORUM.

- S**ECTIO I. Qualem pacem desiderent protestantes.
- §. I. Generalis hujus Pacis idea.
 - §. II. Quas condiciones Pax Religionis contineat.
 - §. III. Quantum damni & præjudicii hæ condiciones Catholicæ Religioni inferant.
 - §. IV. Qualem Amnestiam cupiant Protestantes.
- S**ECTIO II. Quibus argumentis ostendi videatur, licite ejusmodi Pacem etiam perpetuam sanciri.
- Ratio I. Non est ex se illicitum.
 - Ratio II. Deus mala permittit.
 - Ratio III. Zizania noni evellenda.
 - Ratio IV. Vasa sacra vendi possunt.
 - Ratio V. Ecclesiasticorū obligatio & Fundatorū intentio.
 - Ratio VI. Necessitas facit omnia communia.
 - Ratio VII. Absque hoc remedio Pax desperanda.
 - Ratio VIII. Bona intentio.
 - Ratio IX. Exempla.
 - Ratio X. Sententiæ hujus probabilitas.
- S**ECTIO III. Quædam in hæc arduâ quæstione præ oculis habenda.
- I. Permissio mali triplex. (benda.)
 - II. Permissio quæ licita vel illicita.
 - III. Permissio cooperantis natura.
 - IV. Non, quia licet tolerare, licet absolute pacisci.
 - V. Principibus politicis nulla juris dictio Ecclesiastica competit.
 - VI. Quod ex se peccatū est, necessitas licitū non facit.
 - VII. Omnium Statuum Catholicorum interest Pacem illicitam non fieri.
- S**ECTIO IV. Pacem cum illis condicionibus quas volunt Protestantes, ex se illicitam esse demonstratur.
- Ratio I. Pax ejusmodi hæresi tum directè tum indirectè
 - §. I. Explicatur cooperatio indirecta. (cooperatur §. II.)

- §. II. Explicatur coopratio directa. (Religioni.
 Ratio II Pax ejusmodi infert in juriam Creatori & veræ
 Ratio III. Pax ejusmodi est causa perditionis animarum.
 Ratio IV. Pax ejusmodi est usurpatio potestatis non com-
 petentis.
 Ratio V. Pax ejusmodi repugnat Officio & obligationi Cæ-
 faris, Statuumq; Catholicorum, maxime Episcoporum.
 Ratio VI. Pax ejusmodi est frustratoria, ipsoq; bello peri-
 culosior.
 Ratio VII. Pax ejusmodi absque comparatione magis in-
 ordinata est mendatio, quod necessitatis causâ licere
 negant Catholici.
 Ratio VIII. Pax ejusmodi Ecclesiæ Dei, Summorum Pon-
 tificum, SS. Patrum, Veterumq; suffragio destituitur &
 §. I. SS. Patres. (damnatur.
 §. II. Summi pontifices.
 §. III. Cæsares & Principes, Statusq; Catholici.
Sectio V. Argumenta in ius allata diluuntur.
 Ad I. Non est ex se illicitum.
 Ad II. Deus mala permittit.
 Ad III. Zizania non evellenda.
 Ad IV. Vasa sacra vendi possunt.
 Ad V. Ecclesiasticorum obligatio & Fundatorum in-
 Ad VI. Necessitas facit omnia communi. (tentio.
 Ad VII. Absque hoc remedio Pax desperanda.
 Ad VIII. Bona intentio.
 Ad IX. Exempla.
 §. I. D. SS. Joanne Papa I. & Athanasio.
 §. II. De Imperatoribus.
 §. III. De Judæis, Ufuris, Lupanaribus,
 §. IV. De Consilio Roboami 3. Reg. 12.
 Ad X. Sententiæ probabilitas.
Sectio VI. Doctrina hætenus tradita de Pace cum Prote-
 stantibus in certas regulas redigitur.

Regula 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

SECTIO

SECTIO I.

Qualem Pacem desiderent Protestantes.

§ I.

Generalis hujus Pacis idea.

UT de Pacis æquitate vel iniquitate pronunciemus, necesse est condiciones nôsse, quas certum vel verisimile sit à Protestantibus ac eorum complicitibus propositum iri. Occurrunt autem sequentes.

I. Ut Pax religionis Anno Christi 1555. constituta quoad omnes articulos & clausulas Protestantibus favorabiles facta tecta in perpetuum maneat & de novo confirmetur. Neque enim huic fundamentali scilicet Imperii Constitutioni quidquam detrahi patientur.

II. Eadem Pax extendatur ad bona & Jura Ecclesiastica, quæ post & contra illam Catholicis eripuerunt Occupârunt autem ab eo tempore viginti ferè episcopatus sive Ecclesiasticos Imperii Principatus, aliasque Ecclesias & Mōnasteria absque numero.

III. Ad omnia vel aliqua bona ac Jura Ecclesiastica, quæ hisce annis Catholici justo bello aut Judicio recuperârunt, in specie quæ sunt in Palatinatu Protestantibus restituenda.

IV. Ad Civitates Imperii, ut potestatem reformandi Principibus aliisque Staribus parem, quam hætenus contra dictam Pacem usurpârunt, perpetuò & liberè exercent.

V. Eadem Pax denique extendatur ad Calvinismum, iisdem conditionibus, quibus illam obtinuit Confessio Augustana. Neq; Status Calviniani acquiescent, donec id impetraverint.

Atque hæc certa & præcipua sunt eorum desideria. Quibus an plura, v.g. relaxationem Reservati Ecclesiasticorum, libertatem religionis in Provinciis Catholicis, aliaque sint addituri, tempus dabit.

NB. Imò jam dedit. Nam & hæc & plura alia in postremis Comi-

Comitiis, & in Conventu Monasterienſi ac Oſnabrugenſi petierunt, ut ex Gravaminibus, que obtulerunt, conſtat.

§. II.

*Quas Conditiones PAX Religionis**contineat.*

CUM PAX de quâ modò agitur, ſit quædam Pacis Religionis confirmatio, extenſio aut ampliatio, hujus conditiones pernoſcende ſunt, ut de illâ judicium feramus. Videtur autem PAX Religionis, prout Reſſui Comitiorũ, Anno 1555 inſerta eſt, ad octodecim ſequentes articulos redigi poſſe.

I. Nullus Status imperii propter Auguſtanam Confessionem invadatur, lædatur, opprimatur, neque in vitus ab illâ, ejusque fidei ritibus, ordinationibus, quas vel inſtituerunt Proteſtantes vel inſtituturi ſunt, in ſuis Principatibus ac dominiis repellatur, gravetur, aut contemnatur.

II. Vicisſim Status Auguſtanæ Confessionis contra Catholicos nihil attentent,

III. Controverſa Religio aliter quàm Chriſtianis amicis ac pacificis viis & mediis non componatur.

IV. Qui alterutri harum Religionum addicti non ſunt, hæc Pace non comprehendantur.

V Si ArchiEpiscopus, Episcopus Prælatuſ, aliùſve quiviſpiam Ordinis Eccleſiaſtici, à Catholicâ Religione reſſerit, Eccleſias & Beneficia cum fructibus abſque morâ quidem, ſed ſine detrimento honoris ſui, relinquat.

VII. Eccleſiaſtica jurisdictio ad verſus Auguſtanam Confessionem ejusque Miniſtros, ritus, Ordinationes, quas inſtituerunt, aut inſtituent, quieſcere atque ſuſpenſa eſſe & manere debent.

VIII. Catholicis redditus, Cenus, Penſioneſ ſalvæ manean, ſalvis juribus ſæcularibus ejus Status, in cujus territorio iſt hæc ſita ſunt Eccleſiarũ quoq; miniſteriis, Parochiis, Scholis, Elee-

Eleemofynis, Hospitalibus ex iis bonis provideatur, unde prius providebatur, non attento Religionis discrimine.

IX. Si super his præstationibus lites oriantur per arbitros componantur.

X. Nullus Status alium, ejusque subditos ad suam religionem compellat, nec eos arte aliquâ ad se attrahat, aut contra Magistratum suum in tutelam suscipiat, aut ullatenus defendat.

XI. Si aliqui Religionis ergò ex Statuum seu Catholicorum seu Protestantium Provinciis aliò migrare velint, emigratio bonorumque distractio, [consveto emigrantium tributo, & si mancipia fuerint, lytro persoluto] absque impedimento & honoris obligationumque præjudicio concedatur.

XII. Si compositio Religionis in Concilio generali aut Nationali, aut tractatione Imperiali Comitiorum non sequatur, nihilominus Pax ista secundum omnes supra dictos articulos vigorem obtineat, usque ad finalem Religionis compositionem. Atque ita modo jam dicto, & aliàs undequaque, constans, absoluta sive inconditionata & perpetua Pax constituta & decreta sit ac maneat.

XIII. In hâc Pace libera quoque Nobilitas Cæsari immediatè subjecta comprehendatur.

XIV. In civitatibus Imperii utraque Religio, ubi aliquamdiò vigit, etiam impostertum ita permaneat. Et neutra pars alterius Religionem & ritus abroget, vel ad eam deferendam alios compellat, sed utraque pacificè & quietè cohabitent.

XV. Constitutiones Imperii vel aliæ Ordinationes contrariæ nihil huic Paci derogent, neque declaratio in contrarium dari, impetrari, acceptari possit, data verò, impetrata, acceptata nullius sit roboris, sive in judicio, sive extrâ.

XVI. Hos articulos Cæsar, Rex, eorumque successores inviolata observabunt, nec contra seu ex potestatis plenitudine, seu alio prætextu agent, neque suo nomine agi permittent. Idem præstabunt Principes, Prælati, Comites, & Civitates Imperii,

perii, eorumque Successores & hæredes sub obligatione Cæsareæ, Regiæ & Principalis dignitatis, fidei & fidelitatis, in verbo veritatis, omni dolo secluso.

XVII. Ex utraque parte nec Cæsar, nec ullus Status alterum quocunque modo per se vel alios gravet, opprimat, lædat. Si quis adversus hanc Pacem alteri vim aut molestiam intulerit, Cæsar, aliique Status id facienti non solùm consilium, auxilium, patrocinium nullum præstabunt, sed contra alteram partem auxilio & patrocinio juvabunt.

XVIII. Camera Imperialis Præses & Assessores, secundùm hanc Pacem, non attentâ Religione, partibus Jus dicant. Neque contra hæc processum aut mandatum decernant, vel alio modo agant.

§ III.

Quantum damni & præjudicii hæ Conditiones Catholice Religionis inferant.

ID patebit, si aperiore verbis dictas conditiones in istud Compendium redigamus.

I. Principibus & Statibus Secularibus non solùm fas est à verâ fide deficere, verùm etiam hæresin in Principatus & dominia sua introducere. art. I. Hinc orta est ea Regula: Jus Religionem introducendi, sive reformandi concessum est alto, sive mero seu sublimi imperio, ut, qui istud habet, potestatem habeat Religionem mutandi & constituendi.

II. Deficiendi libertas conceditur quoque ArchiEpiscopis, Episcopis, Prælatibus & aliis quibusvis Ordinis Ecclesiastici, modo Ecclesias & Beneficia cum fructibus dimittant. art. 5.

III. Eadem libertate gaudent omnes subditi Catholicorum Principum & Statuum, si velint emigrare, art. II.

IV. Apostatarum honori cavetur, tollendo omnem infamiam juris nimirum seu facti, quæ hæresin sequitur, art. 5. & II.

V. Subditi Protestantium aut Religionem illorum sequi debent,

bent, aut ex ditionibus eorundem migrare, art. I. & II. Unde rursus confirmatur Regula sublimis imperii.

VI. Bona Ecclesiastica ante transactionem Passaviensem occupata, quæ Imperio immediatè non subsunt, neque intra neque extra judicium repeti possunt, art. 6.

VII. Ecclesiastica Jurisdictio adversus Augustanam Confessionem, ejusque ministros & Ordinationes institutas aut instituendas suspensa est, art. 7.

VIII. Catholici ex bonis & redditibus intra territorium Protestantium sitis, ministeriis & scholis Lutheranis providere debent, uti antehàc Catholicis, art. 8.

IX. Si controversiæ Religionis non componantur in Concilio aut Comitiiis, nihilominus Pax hæc absoluta, inconditionata & perpetua esse debet, art. 12. Eadem perpetuitas confirmata fuit in Comitiiis, Anno 1558. 1559. 1566.

X. Constitutionibus Imperii & aliis ordinationibus contrariis [adeoque vel maximè Pontificum & Ecclesiæ] derogatur, neque ulla declaratio in contrarium dari, peti, acceptari potest. art. 15.

XI. Ad hanc Pacem observandam Cæsar & Status pro se & successoribus ac hæredibus suis fidem obligarunt, art. 16.

XII. Cæsar & Status Catholici secundùm Pacis hujus articulos non minùs Protestantes, quàm Catholicos defendere debent, imò & juvare in hæresi introducendâ, & subditis ad eam vel emigrationem compellendis, si reniterentur. art. 17.

XIII. Denique Camera Imperialis secundùm hanc Pacem non attentâ Religione Jus dicere tenetur, adeoque condemnare v. g. subditos Catholicos Protestantium ad acceptandam Confessionem Augustanam aut emigrationem, &c. art. 16.

§. IV.

Qualem Amnistiam cupiant Protestantes.

Amnistia vox Græca significat Legem oblivionis, qualem Thrasybulus Athenis tulit, eâque Rempublicam pacavit. *Reconciliatâ Pace*, ait AEmilius Probus, *cùm plurimum in civitate posset, legem tulit, ne quis anteaâtarum rerum accusaretur, nè multaretur*, eamque illi legem oblivionis vocârunt. Idem commemorat Valerius Maximus lib.4. cap.1. & imitatum se in Antonii, Cassii, & Bruti discordiis componendis asserit Cicero Philipp.1.

Præter hanc Amnistiam injuriarum & maleficiorum seu damnorum, alteram quoque postulant Protestantes, jurium & bonorum ereptionem: ut nimirum pars læsa non solum obliviscatur injuriarum, sed jurium quoque & bonorum injusto bello sibi ereptorum, eaque in vasoribus in perpetuum vel ad tempus cedat & relinquat. Hæc posterior Amnistia inusitata est & peracerba. Etsi absque eâ acquieturi Protestantes non videantur.

A quo verò anno & quorum bonorum cessionem postulaturi & impetraturi sint, tempus dabit. [NB. Imò jam dedit, ut ex Amnistia editâ, & ex Gravaminibus, quæ Monasterii obtulerunt Protestantes, constat.] Id fixum estò nihil ex se illicitum sanciri, vel ejus potestas non sit penes Cæsarem & Status Imperii, ipsis concedi posse. Eadem enim est ratio Amnistia, quæ Pacis, cujus proprietates quadam est vel effectus vel via ad eam obtinendam.

SECTIO II.

Quibus argumentis ostendi videatur, licitè ejusmodi Pacem etiam perpetuam sanciri.

RATIO II.

Non est ex se illicitum.

Etsi

ETſi nullâ neceſſitate urgente illicitum eſt hæreticos tolerare, illisquæ falſæ Religionis libertatem permittere aut promittere, at, cùm Reipublicæ ſalus & veræ Religionis conſervatio id exigit, *quod non eſt licitum in lege, licitum facit neceſſitas.* c. quod non eſt licitum. 4. extra: de Reg. Juris.

RATIO II.

Deus mala permittit.

Humanum regimen derivatur à Divino & ipſum debet imitari ait S. Thom. 2.2. q. 10. a. 11. c. Ergò ſicut Deus mala permittit ob majus bonum, aut ne ſequatur majus malum, ita licitè Cæſar & Status Catholici libertatem falſæ Religionis permittunt, ne vera Religio penitùs intereat. Ex duobus enim malis minus eligi debet. c. duo mala diſt. 13.

RATIO III.

Zizania non evellenda.

Divinæ gubernationis exemplum, Chriſtus Zizaniornm parabolâ confirmat Matth. 13. prohibens, *ne eradicentur cum periculo tritici, & mandans, ut ſinantur crefcere uſque ad meſſem.* Chriſto igitur morem gerunt, dum cum periculo tritici nolunt eradicare hæreticos, ſed in itâ Pace ſinunt illos crefcere uſque ad meſſem à Deo decretam.

RATIO IV.

Vaſa ſacra vendi poſſunt.

VAſa Eccleſiæ etiam initiata confringere, conſlare, vendere licet propter pauperes, captivos, ædificia templorum & cœmeteriorum c. aurum 12. q. 2. ergò prædia quoque, pagos & oppida Eccleſiarum hæreticis cedere & tranſcribere fas eſt ad redimenda extrema mala, & pericula Imperii & Religionis.

RATIO V.

Eccleſiaſticorum obligatio & Fundatorum intentio.

Ecclésiastici ut præcipua Imperii membra & Religionis Antifites ad utriusque conservationem vel maximè obligantur. Si igitur Pax aliter obtineri nequit, nisi cessione aliquot bonorum Ecclesiasticorum eam recusare non debent, cum præsertim præcipua Fundatorum fuerit intentio Religionis conservatio.

RATIO VI.

Necessitas facit omnia communia.

In necessitate omnia fiunt communia jure natura teste S. Th. 2. 2. q. 66. a. 7. ad 6. ut in casu extrema necessitatis possit & debeat aliquis etiam auferre aliena, ut patri subveniat teste eodem q. 62. a. 5. ad 4. Quod cum in necessitate publicâ, præsertim Religionis, multò magis locum habeat, quàm in privatâ, censendum est ea bona Ecclesiastica, sine quorum cessione Pax sperari non potest, facta esse communia toti Imperio, & cecidisse sub potestatem Cæsaris & Statuum, ut Pacem inde redimant.

RATIO VII.

Absque hoc remedio PAX desperanda.

Vel cedendum est Religioni & Ecclesiasticis, vel Pax desperanda Germanis. Negatâ enim Religionis libertate, & omni bonorum Ecclesiasticorum cessione Pacem nullam admittent Protestantes. Non est autem congruum divinæ providentiæ, quòd Deus Cæsari & Statibus potestatem eripuerit, remedii tam necessari, & nos in necessitatem belli æterni conjecerit.

RATIO VIII.

Bona intentio.

Cæsar & Status Catholici optimâ intentione conservandi Religionem ejusmodi Pacem sanciant, mala autem per accidens evenientia, aut hæresis promotionem vel approbationem

tionem nequaquam intendunt. Non ergò eâ in re magis peccant, quàm bellum justum aliaque gerendo, cum quibus per accidens & præter intentionem multa scelera, aliaque mala conjunguntur. Ad hæc non pauca Pax Religionis in favorem Catholicorum continet, ut reservatum Ecclesiasticorum, potestatem reformandi Catholicis etiam Statibus & emigrationem Lutheranis quoque subditis concessam. Ut adeò hæc Pax mala sua paribus bonis compenset.

RATIO IX.

Exempla.

S. Joannes Papa I urgente Theodorico Rege Italiae Arriano libertatem Religionis pro Arrianis à Justino Imperatore Catholico petivit, & impetravit teste Anastasio in Joanne. S. Athanasius teste Zozomeno l. 3. c. 19. instante Constantio Imp. Arrianis Ecclesiam Alexandriae concedere paratus fuit. Concilium Basileense concessit Bohemis, ut Basileæ in suis hospitibus divina celebrarent.

Christiani Imperatores olim sæpius ejusmodi Religionis libertatem concesserunt. Superiori seculo FERDINANDUS I. aliaque Principes Catholici transactionem Passaviensem Anno 1552, & Pacem Religionis Anno 1555 sanxerunt. Eiusdem Pacis confirmationem Petrus Canisius cum aliis è Societate Jesu Anno 1566. probavit, & Legato Apostolico, ne obstitere pervasit, ut refertur in ejus vitâ. Eodem An. FERDINANDUS II. Pacem Pragensem in 40 annos ex Theologorum Consilio pepigit.

His exemplis suffragatur tolerantia Judæorum & permissio usurarum ac lupinarium.

Contraria denique sententia infaustos sæpè exitus habuit tum alibi, tum maximè in Germaniâ, quando An. 1630 Pax à Theologis impedita fuit, ut non dissimilis videatur Consilio, quod Roboamo dederunt juvenes 3. Reg. 12. v. 10.

RATIO

Sententia hujus probabilitas.

Patrocinantur igitur huic Paci multiplex ratio & autoritas, ut illicita secundum se dici non queat, sed tunc, in tantis præsertim necessitatibus, Theologi eam svadeant & Principes sequantur. Auctores Compositionis Pacis c. 5. q. 29. n. 52. *etiam fœdus perpetuum cum sectariis per aliquas circumstantias cohonestari posse credunt.* Tanner. to 3. disp. 1. q. 9. dub. 3. assert. 2. *id quidem non affirmat, sed neque negat.* Plurium Theologorum suffragia haberemus, si occasio hæc de re scribendi se pluribus obtulisset. Quæ in diversam partem afferuntur, ut docta sint, merè tamen scholastica sunt: Consiliis & Theologiis practicis nunc opus est.

SECTIO III.

Quædam in hac ardua quæstione præ oculis habenda.

I.

Permissio mali triplex.

Permissionem mali triplicem distinguunt Gerardus de Senis, & Joannes Andreas in reg. peccatum. de Reg. Juris in 6. Item Angelus alique Summistæ & Theologi, ubi agunt de Usuris. Prima est permissio simplex indulgens pœnam, ut cum ob multitudinem, aut potentiam delinquentium delicta non puniuntur. Secunda & indulget pœnam & præterea prohibet, ne alii malum intempestive impediunt vel tollant. Sic Ecclesia non solum tolerat ritus Judæorum, sed prohibet quoque, ne Christiani festivitates eorum impediunt, cœmeteria invadant, personas occidant, &c, sicut de Judæis. c. Qui sincera, dist. 45. Tertia est cooperans & adjuvans, quæ malum non solum tolerat, idque impe-

impedientes coercet, verum etiam promover, auget, defendit, vel est pars actionis criminosa sive peccati. Sic Pilatus permisit quidem, non precepit Christum crucifigi, *cum tradidit eum voluntati Judaorum*. Luc. 23. v. 25. sed cooperatus est tanto sceleris praestando Judicis autoritatem, & satellites aliaque executionis adminicula suppeditando.

II.

Permissio qua licita vel illicita.

Permittere malum primo & secundo modo, ut majus bonum obtineatur, vel majus malum impediatur, licitum est. Utriusque permissionis exemplum praebet divinum regimen. Prioris, cum benignitas Dei poenam dissimulando peccatores, *adducit ad poenitentiam*. Rom. 2. v. 4. Posterioris, *sinendo Zizania crescere inque ad messem, nobisque prohibendo, ne cum periculo tritici ea eradicemus*. Matth. 13. Extra has duas causas peccant Principes & Magistratus, si scelera manifesta impune tolerant, aut ea corrigere volentes impediunt. *Non enim sine causa gladium portant, Dei enim ministri sunt, vindices in iram eius, qui malum agunt*. Rom. 13. v. 4. Tertio modo malum permittere cooperando siue ad juvando, ex se illicitum est, si id, quod permittitur, peccatum est. Hoc genus peccati in Catechismo inter peccata aliena recensetur, & generatim damnatur à S. Paulo Rom. 1. v. 32. *quoniam, qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Vel maxime autem cooperatio arguit consensum, cujus est effectus & argumentum.

III.

Permissio cooperantis natura.

Cooperatio duplex est, directa & indirecta. Directa cooperatur malo, qui ea agit *qua suapte natura ad peccatum ordinantur*, ut sunt illud stabulire, augere, defendere, vel *qui pars est & socius peccati*, ut cum servus concubinam invitat ad herum, aut miles pugnat in bello manifeste injusto. Indirecte cooperatur,

N

qui

qui malum quod potest & debet impedire non impedit. Sic gubernator cooperatur submersioni navis, quam deberet gubernare, si ex odio v. g. aut negligentia eam permittat submergi, juxta S. Th. 1. 2. q. 6. a. 3. Ubi istud indirecte, illud autem prius directe voluntarium vocat. Utrumque reperitur in permissione cooperante. Hoc quidem in permissione Pilati, licet enim non præceperit Christum crucifigi, quem maluisset dimitti, directe tamen cooperatus est, ferendo sententiam & præstando sceleri auctoritatem judicis. Indirectæ cooperationis rei sunt principes & Magistratus, qui scelera tolerant, cum ea punire aut impedire possent, ideoque ex officio deberent. Est vero permissio cooperans seu directa, seu indirecta, *solum permissio comparatione præcepti*, quatenus dicitur permitti, quod non præcipitur, *ad respectu effectus est commissio.* Committit enim peccatum, qui illi cooperatur, & quidem ejusdem speciei: sic *furti reus est qui currit cum fure, & adulterii, qui cum adulteris portionem suam ponit.* Pl. 49 v. 18.

§. IV.

Non quia licet tolerare, licet absolute pacisci.

Id recte admonuerunt autores Compositionis Pacis c. 5. q. 26 n. 30. & Tanner. to 3 disp. 1 q. 9 dub. 3. n. 97. Tolerare enim mala intentione majoris boni aut metu majoris mali, licitum est & laudabile iisdem circumstantiis durantibus. Absolutè autem vel inperpetuum ejusmodi tolerantiam spondere, repugnat obligationi Principum & Magistratum. Ejusmodi enim promissio secludit circumstantias excusantes, quantum est ex intentione paciscentium, & natura pacti obligat ad malum tolerandum, etiam mutatis circumstantiis, quando id impediri posset, & ex officio deberet. Unde ejusmodi pactum non solum est ex genere suo illicitum, sed etiam irritum: *Quoties contractus est contra bonos mores juris naturalis aut divini, etiam si jure jurando firmetur, non fit ratus nec firmus.*

Prin-

V.

Principibus Politicis nulla jurisdictio Ecclesiastica competit.

Duplex est potestas in Ecclesia, ut explicat Suarez lib. 3. ad-
versus Regem Angliæ cap. 7. Una ordinis ad sacrificandum &
administranda Sacramenta, Altera Jurisdictionis, tum in foro
interiori ad remittenda peccata, tum in exteriori ad regendam
Ecclesiam Dei, quæ huc spectat. Neutrius secundum se capa-
ces sunt Principes & Magistratus politici, ut fatentur omnes
Catholici: quia potestatem Spiritualem à politica secundum
veræ fidei regulam distinguunt. Tam ergo non possunt Prin-
cipes potestare politica quidquam statuere de juribus Religio-
nis & Ecclesiæ, quatenus illa dimanant à jure pascendi oves
Christi, quod accepit Petrus. jo. 21. v. 15: quam non possunt ex-
ercere illum actum Ordinis. Neque his in rebus necessitas er-
ror aut opinio tribuit jurisdictionem, ut in civilibus & in poli-
ticis arg. l. Barbarius, ff. de Officio Prætor, tribuere existimatur.
Jura enim Religionis & Ecclesiæ gubernandæ non dependent
ab arbitrio humano, sed divino: quod dispositioni vel ratiha-
bitioni humanæ non subjacet, nisi quatenus Præsidibus Eccle-
siæ Deus concessit. *Ideo vana & irrita sunt, quæcunque
Principes & Potestates Seculares de rebus spiritualibus, & ad
forum Ecclesiasticum spectantibus statuunt, etsi summaratione
(imo & necessitate) nitantur, idque propter defectum potesta-
tis & juris dictionis,* Ita Conradus Brunus lib. 3. de hæres. c. 17.

VI.

Quod ex se peccatum est necessitas licitum non facit.

Duo id juris naturalis & divini principia persvadent. Unum
explicat Christus Matth. 16. v. 26. *Quid enim prodest homini, si
mundum universum lucretur, anima vero sua detrimentum pa-
siatur;* Nulla ergo tanta jactura est, pux peccato redimi debeat

aut licite possit, alioqui enim Christus id facienti detrimentum animæ quod solo peccato incurritur, non intentaret. Alterum stabilivit Doctor gentium Rom. 3. v. g. *non esse videlicet facienda mala, ut eveniant bona*; cum erroris contrarii ex eo, quod diceret etiam *iniquitate nostra Dei justitiam commendari*, falso sibi impositi blasphemiam à se repulit & damnatione dignam judicavit. Nullum ergo tantum bonum est, cujus causa peccare liceat, alioqui vel maxime ad illustrandam Dei gloriam id liceret, quod veluti blasphemum, ut omnem boni finis intentione peccandi licentiam excluderet, Apostolus damnavit. Quare prapostere nec Christianæ Religionis & Imperii necessitas ad persuadendam Pacem exaggeratur, priusquam licitas esse conditiones constiterit. Quæ si ex se illicitæ fuerint, non magis eas inire fas est, quam necessitatis cujuscunque causa fidem negare, blasphemare, pejerare, fornicari, adulterari. Sicut autem *nemo sana mentis consultat de impossibilibus*, teste Aristotele 3. Ethic. cap. 3. ita nemo vere Christiannus, Deumque timens de liberat de illicitis. *Perinde enim est timorata conscientia non licere & fieri non posse.*

VII.

Omniū Statuum Catholicorum interest Pacem illicitam non fieri.

Perniciosus error est existimare, aut nihil aut parum interesse Catholicorum, qui Protestantibus vicini non sunt, neque aliquando bonis aut juribus Ecclesiasticis ab iisdem spoliati fuere, quibus conditionibus PAX transigatur. Cum enim Principes & Status singuli suffragium ferre debeant non pro se suisque duntaxat ditioribus, sed pro toto Imperio, (secundum plura enim suffragia in Comitibus decerni solet) interest conscientia & salutis singulorum, ne quidam legibus divinis & religioni maxime adversum svadeant vel ratum habeant, suoque suffragio comprobent, etsi id non ipsos sed alios concernat. Multo enim iniquius est, aliorum Episcoporum aut Catholicorum bonis

bonis ac juribus suo suffragio derogare, quam suis, in quæ quæ-
 lecunq; jus obtinere videntur. Denique ad omnes Status
 Catholicos PAX Religionis ejusque extensio attinet, tum quia
 ex omnium ditione subditi possunt ad hæreticos emigrare, tum
 quia, si ejusmodi Pace hæresis nimium invalescat, periculum,
 quod ante paucorum fuit, erit omnium, & ubique vicinus pa-
 ries ardebit.

SECTIO IV.

Pacem cum illis Conditionibus, quas desiderant
 Protestantes, ex se illicitam esse de-
 monstratur.

DE perpetua præcipue agimus; temporaria enim parum
 fidei & securitatis habet. Neque acquiescent Protestan-
 tes, donec undequaque stabilem seu jam seu aliâs obti-
 neant. Et si, quæcunq; cum illis ineatur, perpetuitatem
 habeat, quatenus Pacem Religionis includit & confirmat.
 Quas autem condiciones desiderent Protestantes, patet ex
 sect. 1. § 1. Talem ergo Pacem & quamvis ei similem ex se sive
 genere suo illicitam esse, demonstramus sequentibus argu-
 mentis.

1. PAX ejusmodi hæresi tum directe tum indirecte coo-
 peratur.
2. Infert injuriam Creatori & vera Religioni.
3. Est causa perditionis animarum.
4. Est usurpatio potestatis non competentis.
5. Repugnat officio & juramento Cesaris, Statuumq; Ca-
 tholicorum, maximè Episcoporum.
6. Est frustratoria, ipsoque bello periculosior.
7. Absque comparatione est magis inordinata mendacio,
 quod necessitatis causa licere negant Catholici.
8. Ecclesiæ Dei, Summorum Pontificum, SS. Patrum &
 Veterum DD. suffragio destituitur & damnatur.

N 3.

Hæc

Hæc singillatim demonstramus.

RATIO I.

PAX ejusmodi hæresitum directe tum indirecte cooperatur.

Utramque cooperationem descripsimus sect. 3. n. 1. & 3. Cum vero directa ex indirecta clarius elucescat, hanc illi præmittimus.

§ I.

Explicatur cooperatio indirecta.

Ea PAX indirecte cooperatur hæresi quæ sancit illius tolerantiam, exclusis circumstantiis excusantibus, sive eo etiam casu, quo tolli posset ac deberet. Id agit PAX, quam desiderant Protestantes, indirecte ergo hæresi cooperatur. Propositio patet ex indirectæ cooperationis natura sect. 3. §. 1. tradita. Assumptionem probamus:

I. PAX Religionis, quam stabiliri & ampliari volunt Protestantes, est perpetua juxta art. 12. Extenditur ergo in eum quoque casum, quo hæresis tolerari non posset nec deberet, sublati videlicet causis excusantibus, que sunt majoris boni obtentio aut majoris mali depulsio. Ejusmodi enim circumstantias esse mutabiles tum natura hæresium, quæ ætatem perpetuam non ferunt, tum mutabilis rerum humanarum conditio convincit.

II. Eadem PAX est *absoluta & incondicionata* juxta cit. art. 12; excludit ergo causas excusantes. At soluta enim & incondicionata non foret, si à circumstantiis urgentis necessitatis dependeret. His autem sublati, imminuta v. gr. hæreticorum multitudine aut potentia, Princeps jure divino tenetur scelerata & vel maxime hæresin, eorum gravissime punire & extirpare. Quod cum non facit, aut se non facturum promittit, indirectæ cooperationis manifeste reus est.

Neque obstat, quod PAX Religionis videatur initio solum
con.

conclusa usque ad amicabilem Religionis compositionem. Nam primo etsi Catholici hac conditione adjecta conscientie suae consultum cupiebant tamen Protestantes paulo antequam PAX Religionis concluderetur, die 7. Septembris, Anno 1555 clausulam *absolute & inconditionata perpetuitatis* à FERDINANDO I extorserunt: Pacem alioqui temporariam & instabilem fore causantes, ut constat ex actis publicis apud Lehmannum. Cum *eadem perpetuitatis clausula*, PAX Religionis confirmata fuit in Comitibus Anno 1557 Rarisbonæ, Anno 1559 Augustæ sub eodem FERDINANDO I, & postremo iterum Augustæ Anno 1566 sub MAXIMILIANO II.

Deinde etsi conditio compositionis amicabilis, si eam non sequi contingat, per clausulam Pacis perpetuæ exclusa non fuisset, nihilominus PAX Religionis perpetua foret. *Conditio enim impossibilis habetur pro non adjecta* Cap. fin. de condit. appos. in despons. vel aliis contract. Non autem magis possibilem aut sperandam esse amicabilem compositionem hæresis cum fide Catholica, quam concordiam ignis & aquæ, lucis & tenebrarum, Christi & Belial, experientia à Christo nato docuit Idem Germani experimur Nam cum initio sæpius ejusmodi compositio, in Comitibus maxime, tentata fuerit, nunquam tamen successit. Ideoque post annum 1566 Cæsar & Status Imperii de ea re velut desperata in Comitibus nunquam amplius deliberarunt, sed tam Catholici quam Protestantes in Pace Religionis *tanquam lege fundamentali Imperii* acquiescunt.

Denique etsi daremus hanc conditionem simpliciter adjectam & possibilem esse, illicita tamen foret. Facile enim inciderent tempora, quibus, si remedia mollia nihil proficerent, Cæsar & Catholici absque periculo hæresin vi coercere & tollere possent, ideoque ex officio, quo gladium portant, deberent.

Hæc perpetuitas omnes conditiones Paci Religionis inferas reddit illicitas quatenus Religionem Catholicam adversantur; etsi aliqua ad tempus pro circumstantiis duraturæ necessitatis
licite

licite iniri possent. Transfert enim illas ad permissionem tertii generis sive cooperantem sect. 3. §. 12 & 3. explicatam; quia extendit heresis tolerantiam ad eos casus, quibus impediri posset ac deberet. Ex quo capite, qualiscunque PAX jam sancitur, illicita erit; si PAX Religionis in ea confirmetur.

§. II.

Explicatur cooperatio directa.

Directe cooperari malo, est ea agere, qua suapte natura ad peccatum ordinantur, vel esse partem aut socium peccati sive actionis criminosa, ut constat ex sect. 3. §. 3. Utroque modo PAX Religionis & quavis illi similis directæ cooperationis rea esse convincitur. Priori modo præstant hæresi auctoritatem juris publici, quod ad eam stabiliendam, augendam, defendendam ordinatur quaduplici ratione.

Nam I. Hæretici jure divino & humano infames vi hujus Pacis inter publicas & fundamentales Imperii leges receptæ obtinent Statum illæstæ dignitatis; detrahunt enim hæresi & Apostasiæ omnis infamia sive juris sive facti, art. 5. & 11,

II. Regula annectens jus reformandi, alto scilicet Imperio ex se ordinatur ad hæresin augendam, imo in totum Imperium introducendam, si plures potentioresq; Principes & Status à fide deficient, aut protestantes hæreditate vel alio juris titulo Catholicas ditiones suas faciant. Hanc regulam deduci ex art. 1 & 11 Pacis Religionis diximus sect. 1 §. 3. Quam confirmat perpetua praxis, & auctoritas FERDINANDI. II. Is enim in pace Pragensi Electori Saxonie petenti libertatem Religionis pro Provinciis Austriacis, dictam regulam opposuit & firmavit asserens, quod aliis Statibus concessum sit (ut jus Religionis sublimi Imperio seu juris dictioni territoriali cohæreat) id Casari illicitum & vetitum esse non debere.

III. Iisdem in Tribunali Casareo conceditur jus & actio ad spolia Catholicis ante Tractatum Passaviensem erepta retinenda & vindicanda. Itidem ad Confessionem Augustanam in

ditio.

ditionibus suis introducendam subditis licet invitis, aut Episcopis contradicentibus. Jubentur enim Judices Camerae Imperialis, secundum dictae Pacis articulos non attenda Religione jus dicere, art. 18. Vocamus autem hic Jus quamvis legem publice receptam, & Actionem quamvis facultatem aliquid in judicio persequendi, sive juste id fiat, sive injuste; quo pacto Jus Regis appellavit Samuel 1 Reg. 8 v. 11.

IV. Denique si adversus hanc Pacem molestiam aut vim patiantur, non minus eos defendere tenetur Cæsar, quam Catholicos. art. 16 & 17.

Etsi vero permissio quoque secundi generis aliquam actionem aut defensionem tribuit (quo pacto Ecclesia coërcet fideles, ne Judæos in suis ritibus impediunt, uti dictum sect. 3. § 1) est tamen ratio valde diversa. Nam aut talis coërcitio non nititur lege perpetua, ut cum malum ad tempus toleratur; aut, si jure est stabilita, ut coërcitio impredientium Judæos, non extendit se ultra ritus ipsorum. Neque enim conceditur illis actio ad bona Catholicis erepta retinenda vel vindicanda, aut Catholicos ad Judaismum compellendos, nec liberantur infamia, nec intervenit participatio peccati vel actionis criminosa, qualis cernitur in Pace Religionis vel simili, quam desiderant Protestantes.

Nam compellere subditos ad hæresin vel emigrationem ex patria, introducere vel reducere exercitium hæresis in loca Catholica, eripere Catholicis bona & jura legitime recuperata, ut hæreticis restituantur, non sunt actiones ex se objecto bonæ, neque indifferentes, ergo, cum aliud membrum Theologia ignoret, ex se & objecto malæ sive criminosa; neque magis excusari possunt, quam subditos domo ejicere, nisi in atrociam scelera consentiant; horum exercitium aliquò introducere vel reducere; eripere denique innocentibus bona vel jura legitime recuperata, ut sceleratis publica vindicta coërcendis restituantur. Hæresis enim *ex suo genere grandia scelera non solum aequat, sed etiam superat*, ut post S. Aug. tr. 89 in Joannem cum

S. Th. 2.2. q. 10. art. 3. docent Theologi. Et si, quia hoc malum familiare est & majorem Imperii partem occupat, id non æstimamus.

Hujus actionis criminosa participationem induci, si defensio patrociniū & auxilium hæreticis promittitur, manifestum est.

Expulsio Catholicæ Religionis & Catholicorum ex bonis & juribus legitime recuperatis, in Pace Religionis quidem non continetur, sed novæ Amnistiæ hunc sensum affingere volunt aliqui: ut videlicet Monasteria, Ecclesiæ, ditiones hæreticis per hosce annos legitime ereptæ iisdem restituantur, id est, recuperata prædonibus. Qui si ipsi rursus ea raperent, fieri deberet, quod impediri non posset; si autem Cæsar & Catholici id decernant & re ipsa præstent vel adjuvent, actionis illicitæ & criminosa vel maxime participes sunt. Atque ex his posterior quoque modus directæ cooperationis intelligitur.

RATIO II.

*PAX ejusmodi infert injuriam Creatori,
& veræ Religioni.*

Duplici id argumento probamus. Primo ejusmodi PAX cooperatur hæresi, quæ tota ex injuriis & blasphemis in Deum, Sanctos, veram Ecclesiam & Sacramenta constat. Cooperari autem injuriis Creatotis & veræ Religionis, est illarum reum se facere, *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Rom. 1. v. 32. vide sect. 3. n. 2. Qualis vero sit hæc cooperatio, dictum est RAT. I.

Secundo PAX hæc præter injuriam cooperationis, aliam quoque specialem Creatori & Religioni infert, dum *hæresin veræ fidei exæquat*

I. *In dignitate illesa fama;* detracta enim hæresi infamia, Hæreticos & Apostatas in ordinem hominum honestorum recipit, art. 1. 5. & II. *Quantumvis infames fecerit Christus,*
Matth,

Matth. 18 v. 17 : *Si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, conspirante Jure utroq; Canonico & Civili. Fac simili Pace infamiam detrahi Magiæ & Sodomix, & excusa scelus, si potes.

II. *In libertate profitendi*, quæ non solum Principibus, sed omnibus omnino, Laicis & Ecclesiasticis, conceditur, art. 1. 5. 11; & eousque se extendit, ut sicut tota Germania Catholica fuit ac esse deberet, ita per regulam, alti scilicet meri Imperii, ad hæresin tota facile queat traduci. Vnde apparet: *Catholicam Religionem, in Imperio non esse amplius præceptam, sed instar hæresis solum tolerari*. Quæ est insignis contumelia juris divini, & vera fidei, *sine quâ impossibile est Deo placere*. Heb. 11 v. 6 Merito Cardinalis Hosius, Paulo IV Pontifici quærenti, quid sentiret de Pace Religionis, respondit: *Jam quod in ea Constitutione scribitur, liberum esse cuique debere, integra fama, fideque sua se ab Ecclesia Dei separare: quid hoc est aliud, quam sacrilegium schismatis approbare*; uti refert Antonius Possevinus in Epist. ad Stephanum Poloniae Regem, similem Pacem eidem diffvadens.

III. *In defensione*; æque enim se defensurum eos qui sunt hæreticæ, atque eos qui sunt Catholicæ Confessionis, & eodem utroque loco habiturum, una cum aliis Catholicis, promisit Cæsar, art. 17. Idemque mandatur Judicibus Camerae Imperialis, art. 18. *Qua in re esse gravius erratum, quam ut vero sermone explicari queat*, respondit eidem Pontifici idem Cardinalis. Non minus enim illicite promittitur defensio & patrocinium hæresi, quam Magiæ, Sodomix, aliisque sceleribus.

IV. *In perpetuitate*; quam propriam Ecclesiæ Catholicæ prærogativam PAX Religionis communem facit cum hæresi, perpetuam ei libertatem paciscendo, contra hæresium naturam, quæ ut cito oriuntur, ita facile occidunt.

Væ vobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum, ait Isaias cap. 5 v. 20. *Quæ autem conventio*

tio Christi ad Belial, aut qua pars fidei cum infidei, clamat S. Paulus. 2. Cor. 6 v. 15: ut honestate, libertate, defensione, perpetuitate pares habeantur, aut fiant?

RATIO III.

*PAX ejusmodi est causa perditionis
animarum.*

Duplici hoc quoque ratione ostendimus. Primo ex cooperatione cum hæresi. RAT. I demonstrata. Cum enim ea fundamentum salutis, fidem nempe evertat, quisquis huic malo cooperatur, perditionis animarum se reum facit. Elucet verò cooperatio in his maxime:

I. PAX Religionis art. I Principibus qui tum defecerant, potestatem dedit hæresin in suis ditionibus stabiliendi, & Catholicam Religionem funditus evertendi. Adeoque miseros illos populos diabolo in perpetuum veluti oppignoravit, ut reliqui Germani in vera fide manerent. Contra morem divinæ bonitatis & justitiæ, quæ ut alios servet, aliis viam salutis non claudit.

II. Eadem PAX Principibus Secularibus, non solum imposterum quoque concedit potestatem deficiendi, sed subditos etiam reformandi; uti art. I & II colligitur, & Imperii Praxis confirmat. Subjacent igitur animæ quoq; subditorum arbitrio Principum Germanorum; frustra clamante Deo Ezech. 18 v. *Ecce omnes anima mea sunt.* Tradit enim illas PAX Religionis Principibus eadem ratione seducendas, qua Pilatus metu sui periculi percussus, Christum tradidit Judæis crucifigendum, Joan. 19 v. 16. Aut ergo Pilatum absolve aut hanc Pacem damna.

III. Subditis imponitur necessitas aut hæresis amplectendæ, aut injustæ emigrationis, art. II. Ut enim emigratio Catholicis inter Catholicos est illecebra Apostasiæ, propter amicam carni novi Evangelii libertatem: ita iisdem inter hæreticos est lex exilii, ipsisque hæreticis remora conversionis. Innumeri,
hisce

hisce præsertim annis, ad nos transissent, aut transirent, si illis Catholicum Principem retinere, aut sub Acatholico veram fidem in Patria profiteri liceret. Pauci sunt Abrahami, qui vocante Deo egrediantur de terra sua, & de cognatione sua, & de domo Patris sui. Gen. 12 v 1. Multi se in Patria facile alunt, qui ægre foris mendicant. Denique si integra communitas, oppidum, pagus, emigrare vellet, an credimus aut id permissuros Status Protestantes, aut exules locum apud nos reperturos, ubi considerare, & victum habere, aut quærere queant?

IV. Facultas apostatandi omnibus tum Laicis tum Ecclesiasticis permittitur, art. 5 & 11. Utrique enim autoritate Pacis Religionis impune transire possunt ad Confessionem Augustanam. O miseros Germanos, quibus peccare licet! *Et si peccare nemini licet, sed sermonis errore labimur; id enim licere dicimus, quod cuique conceditur,* ait Cicero in Tuscul.

V. Cooperatio directa maxime cernitur in autoritate juris publici, qua PAX Religionis hæresi detrahit infamiam; hæreticis dat actionem, & præstat defensionem non minus quam Catholicis; quodque nulla excusatione colorari potest, compellit subditos etiam renitentes ad hæresim, nisi emigrare velint. Si enim maneat, non solum per Pacem Religionis veram fidem illis profiteri in patria non licebit, verum etiam compellentur per Principes suos, & sententiam Cæsaris, si renitentur, ut Reformationi se subdiciant, ut bonis avitis ac patria, nulla alia quam veræ Religionis culpa cedant, ac in exilium abeant. Quorum illud sacrilegium, istud iniquum. Prius autem tam aperte impium est, ut licet daremus, emigrationem necessitatis obtentu purgari posse. alterum optionis membrum fiat inexcusabile, rotamque disjunctionem vitiet. Hæc simplicioribus non immerito ingenerant opinionem, utramque Religionem esse veram & approbatam: cum præsertim Catholici quoque Pacem Religionis pro lege fundamentali habeant. Quasi hæresis tolerantia & defensio esse queat fundamentum Catholici Regiminis, vel Imperii Germanici, quod

tam diu invictum fuit, quamdiu integre Catholicum; ruere coepit, cum hæresin recepit.

Secundo, speciali ratione, PAX novæ perditionis animarum rea erit, si Catholicam Religionem & Catholicos ex Bonis & Juribus per hosce annos legitime recuperatis expellat; quod ante Pacem Pragensem inauditum fuit in Imperio. Nam PAX Religionis solum concessit, ut Protestantes ea, quæ Catholicis ante eripuerant, retinerent; non autem ut Catholicis eriperentur, quæ tum legitime tenebant, aut recuperarent. Ita indies condatiores sumus in exitium nostrum & aliorum. Nam præterquam quod Pacifici hi expulsores actione criminosa & sacrilega Deum offendunt; innumeras quoque animas, vera fide jam imbutas, aut propediem imbuendas, denuo sub jugum hæresis mittunt.

RATIO IV.

PAX ejusmodi est usurpatio potestatis non competentis.

Ea potestas incompetens est, quæ neque jure divino, neque humano conceditur. Potestatem sancienti Pacem Religionis vel aliam similem, Cæsar & Status Imperii neutro jure acceperunt. Potestatem igitur sibi non competentem hac in re usurparunt, & usurpant. Propositio per se patet. Omnis enim potestas à Deo aut homine datur; quam si neuter dedit, nemo habet. Imo *non est potestas nisi à Deo*, Rom 13. v.1: nam illam, quam homines dant, Deus quoque instituit, ut darent.

Assumptio fidem habebit, si ea expendamus, quorum potestatem sibi Cæsar & Status in tali Pace usurpant. Sunt autem hæc præcipua. *Libertas hæresis profitenda & exercenda: Suspendio Jurisdictionis Ecclesiasticæ erga hæresin & hæreticos: Cessio & traditio bonorum Ecclesiasticorum & subditorum Catholicorum: Renuntiatio Constitutionum & Ordinationum huic Paci adversantium.* Hæc autem esse extra sphæram potestatis politicæ, ostendimus.

Nam

Nam I. *Oppositorum eadem est ratio*, de fide autem Catholica & Ecclesia nihil decernere potest Princeps Politicus, ergo nec de opposita hæresi, quatenus urgente necessitate toleranda sit. Arcere enim lupos vel tolerare, pertinent ad jus pascendi oves Christi; quod Joan. 21 v. 15 Petro ejusque Successoribus demandatum est. Nec Principes Politici quidquam legitime hac in re agunt, nisi quatenus eorum operam Ecclesia requirit.

II. Non possunt Cæsar & Status suspendere Jurisdictionem Ecclesiasticam, quia nullam habent. Non minus enim suspendere, quam dare, supponit Jurisdictionem ejusdem Ordinis, in suspendente, eamque superiorem. Jurisdictio quippe legitime non exercetur, nisi in subditos. Cum igitur Episcopi & Ecclesiastici in Spiritualibus & Ecclesiasticis non subdantur potestati politicæ; eorumque Jurisdictio non à potestate tali, sed à Christi in terris Vicario procedat: irritum est & inane, quidquid de ea Principes Politici statuunt: ut dictum est sect. 3 n. 5. Gravissime vero hac in re delinquit PAX Religionis, quod jura Ecclesiastica verbo suspendit re ipsa penitus abolet, ob paci perpetuitatem. Jus enim, quod nullo unquam tempore exerceri poterit, extinctum merito censetur.

III. Ecclesiæ earumque bona subjacent Ecclesiæ & Pontifici, tamquam supremo administratori; non possunt ergo à potestate seculari alienari, seu transferri, maxime in hæreticos; aut, quod nunc agitur, legitime recuperata Catholicis eripi, ut hæreticis restituantur. Etsi vero ex Ecclesiarum thesauris & redditibus, legitima autoritate subveniendum sit periclitanti Imperio & Religioni; oppida tamen, pagi, prædia, seu ditiones earum, cum alto scilicet & mero Imperio, hæreticis concedi non possunt. Simul enim tradi deberent animæ. Sic autem pacisci de ovibus Christi cum lupis, urique nefas est.

IV. Tollere vel suspendere ea, quæ sunt Juris Divini & Ecclesiastici, vel iis renunciare, excedit limites potestatis Politicæ. Jura Ecclesiæ & Episcoporum in hæreticos, in Ecclesias earumque bona & subditos, omnesque in Imperio Catholicos,
nitun.

nituntur jure partim divino, partim Ecclesiastico. Non poterunt itaque nec possunt Cæsar & Status Imperii ista (quatenus adversantur Paci Religionis aut alteri simili) suspendere, vel illis in præjudicium Religionis & Ecclesiæ renuntiare: uti fecerunt, art. 15. Renuntiando enim omnibus contrariis, vel maxime renuntiarunt Iuribus Pontificis, Ecclesiæ & Episcoporum; hæc quippe Paci Religionis directe repugnant.

Manifestum igitur est, in his usurpari à Cæsare & Statibus Jurisdictionem non competentem, & Ecclesiam Dei sic pacificentibus merito dicere: *Quis vos constituit Principes & Judices super nos?* Exodi 2.v.14. Ubi præterea hæc observentur.

I. Cum Jura Religionis & Ecclesiæ à Jure divino dependant, eorumque Laici qua tales sint incapaces; nulla necessitas harum potestatum Cæsari & Statibus magis tribuere potest, quam potestatem Ordinis; uti constat ex sect. 3. num. 5. Quod vero DD. tradunt, *in casu necessitatis publicæ, Principem posse tollere jura & bona aliorum*, non extenditur ad ea quæ sunt juris divini, ut jura Ecclesiæ in Religionem & animas.

II. Neque Episcopis Jus aliquod competit ita paciscendi. Tum quia in Comitibus non exercent potestatem Episcopalem, sed politicam, quam habent ut Principes: Tum quia nec habent Jus dispensandi nec renunciandi. Non prius, quia non possunt dispensare in legibus superiorum, Dei videlicet Ecclesiæ & Pontificum. Non posterius, quia juri publico nemo renuntiare potest, juxta Reg. 45. ff. de reg. Juris. *Privatorum conventio Juri publico non derogat.* Quod eo verius est de Jure Divino & Ecclesiastico, quam de Civili, quo illud est altioris & ætioris Ordinis. Quare erravit FERDINANDUS I si existimavit, ut aliqui scribunt, in sancienda Pace Religionis, conscientiam suam exonerari posse, per consensum Episcoporum.

III. Si quidquam hæreticis Pacis causa licite concedi potest, sine facultate aut ratihabitione Pontificis id fieri non debet; quia is est supremus jurium Religionis & Ecclesiæ arbiter. *Neq; injuriosum sibi debet Imperialis & Regia dignitas reputare, si super*

JUDICIUM THEOLOGICUM. iii

si super hoc Apostolico judicio se committat, ut ait Innoc. III cap. Novit. de judiciis: exemplis Valentiniani, Theodosii, & Caroli Magni, autoritatem suam in causa violatæ Pacis inter Reges Galliæ & Angliæ confirmans. Mirum profecto est, pro facultate collectandi Ecclesiasticos ad Pontificem recurri: integros vero Episcopatus, Ecclesias, Monasteria, absque consensu Sedis Apostolicæ hæreticis concedi vel restitui. Hoc nempe est excoriare culices, & glutire camelos.

RATIO V.

PAX ejusmodi repugnat Officio & obligationi Cæsaris, Statuumque Catholicorum, maxime Episcoporum.

Ex Officio & Juramento supremi Advocati Ecclesiæ, Cæsar tenetur Religionem Catholicam, jura item Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ, pro virili defendere & promovere; scelera vero, maxime hæresin, punire & tollere. Idem incumbit omnibus Statibus Catholicis ex jure divino; maxime Episcopis, qui oves Christi pascere, errantes reducere, luposque arcere debent, & peculiari juramento Pontifici & Ecclesiæ obstricti sunt.

Atqui hæresi perpetuam, absolutam, & inconditionatam impunitatem, paremque cum Religione Catholica defensionem spondere, & vi talis pacti tam directe quam indirecte cooperari in Creatoris injuriam & perditionem animarum, sunt talia, quæ Officio boni Principis & obligationi Cæsaris ac Statuum Catholicorum, præcipue Episcoporum, manifeste repugnant. At in Pace Religionis, vel alia simili, qualem Protestantes desiderant, aut omnia aut aliqua irrefragabiliter continentur. Pugnat igitur ejusmodi PAX cum Officio & obligatione Cæsaris, Statuum Catholicorum, & maxime Episcoporum.

Jurat futurus Imperator super sancta Dei Evangelia, ut ex Pontificali constat, Deo & B. Petro, *se de cætero protectorem atque defensorem fore Summi Pontificis, & S. Romana Ecclesiæ,*

in omnibus necessitatibus & utilitatibus ejus: custodiendo & conservando possessiones ejus, honores, & jura; quantum divino fultus adjutorio poterit, secundum scire & posse suum, recta & pura fide.

Atqui vi Pacis Religionis jurat, seu quod idem est, *in verbo veritatis* spondet, se hostes Pontificis & Romanæ Ecclesiæ perpetuo & inconditionate defensurum non minus quam Catholicos; Principibus hæreticis in hæresi introducenda auxilio futurum; Jurisdictionem Ecclesiasticam erga hæresin & hæreticos exerceri non passurum, nec ut bona Ecclesiastica mediata, ante Tractatum Passaviensem occupata, unquam repetantur. Quæ aliaque talia salvo officio & juramento Cæsaris, non posse præstari, agnoscit, quisquis verba intelligit.

Episcopi in Consecratione inter alia hæc maxime jurant: *se Jura & auctoritatem Romanæ Ecclesiæ & Pontificis conservare defendere. promovere velle. Neque futuros in Consilio, seu tractatu, in quibus contra Pontificem, vel Ecclesiam Romanam, aliqua sinistra seu præjudicialia machinentur. Hæreticos Schismaticos & rebelles pro posse persecuturos & impugnaturos. Possessiones ad mensam suam pertinentes nullo modo alienaturos.*

Atqui consentiendo in Pacem Religionis, vel aliam similem, ad contraria se obligant. Qualia sunt, hæresi & hæreticis libertatem perpetuam & inconditionatam concedere; Jura Ecclesiæ & Religionis in bonis Ecclesiasticis & Secularibus, quæ hæreticis conceduntur, suffragio suo suspendere, imo abolere. Præterea, (quod iis Episcopis peculiare est, quorum Diocesis partem, aut aliqua bona Ecclesiastica ibi sita, hæretici occuparunt) jurisdictionem Episcopalem jure divino sibi competentem erga errantes oves, & jus erepta repetendi, in perpetuum abdicare. Denique se una cum Cæsare obligare, ad hæresis introductionem, & Catholicorum expulsionem, vel seductionem, adjuvandam. Quod multo atrocius est, si Episcopi cogitent, se etiam ad diocesanorum & ovium à Deo commissarum depravationem promovendam, easque à se abigendas obligari;

ligari; si contingat Principem secularem, in cujus ditionem Dioecesis porrigitur, à fide deficere, & per Regulam alti scilicet meri Imperii, Confessionem Augustanam subditis multis introducere.

Hæc vero in Pace Religionis contineri, evidens est ex dictis, eaque extreme juramento Episcopali adversari, fatebitur, quisquis lucem à tenebris nigrum ab albo dissidere non negat.

RATIO IV.

PAX ejusmodi est frustratoria, ipsoque bello periculosior.

Esse frustratoriam, sive fallacem inde patet, quia *ex neutra parte obligationem inducit; defectu tum materia, tum potestatis se obligandi.* Defectus materia, apparet ex cooperatione cum hæresi, injuria creatoris & veræ Religionis, violatione denique officii; quæ in ejusmodi Pace contineri, demonstravimus RAT. 1. 2. 3. 5. Cum enim hæc secundum se sint illicita, nemo ad ea obligari valide potest. Defectum potestatis explicavimus RAT. 4.

Esse eandem hanc Pacem bello periculosiorem, *persuadet hæreticorum perfidia;* à qua Pacem præ se ferente majus periculum Catholicis inermibus imminere, quam ab eadem à parte belligerante armatis, sapientes non negabunt. Argumenta perfidiæ hæc sunt non vana.

1. *Experientia.* Ab initio enim hæresis in Germania, Protestantes nulla unquam pacta, nec Pacem quidem Religionis, constanter & integre servaverunt. Detinent contra illam, partim ante partim post occupatos viginti fere Episcopatus, sive Principatus Ecclesiasticos, cum innumeris monasteriis: Neque de illis restituendis, uti deberent, sed perpetuo retinendis cogitant. Non desunt exempla eorum, qui recens in gratiam recepti fidem heri datam hodie violant. Ante Pacem Religionis non adeo multa occuparunt, postea cordatiores tantum raperunt, ut nunc duas fere tertias partes Imperii Germanici obtineant. Utinam PAX nova non tantum illis animi addat,

quantum ad reliqua Catholicis eripienda sit satis! Experimentam domesticam confirmat externa totius orbis Catholici, innumeris hæreticæ perfidiæ exemplis.

II. *Hæresis natura.* Est enim ea dissensionis partus & mater. Dissensio autem contrarios affectus inducit, animosque exacerbat. Ea igitur vigente, præsertim in re gravi, qualis est Religio, PAX stabilis sperari non potest. Consonat illud Christi: *Omne regnum in se divisum desolabitur.* Luc. II. v. 17. Neque credibile est hæreticos, qui fidem Deo debitam irritam faciunt, eam hominibus præstituros.

III. *Hæreticorum sensus.* Detestantur enim Religionem Catholicam, ut falsam, Deo & saluti animarum adversam, eaque opinione ad eam opprimendam continuo incitantur. Sic quondam Oratori Cæsareo opponere non dubitarunt: *non posse se absque læsione conscientia Religiosos vel Catholicorum instituta tolerare*, uti refert Hortlederus l. 7. c. 4. n. 23. Ex quibus aliisque scriptis, præcipue quæ ante tredecim fere annos *titulo Veredaris* vulgarunt, apparet, quàm male ad Pacem Religionis, & quamvis aliam cum Catholicis servandam sint animati, si doctrinæ suæ principiis constanter insistant.

Sed prudentia carnis hanc hæreticorum perfidiam, in patrocinium ejusmodi Pacis, & excusandas excusationes in peccatis, detorquet. Ajunt, Cæsarem & Status Catholicos sic pacificentes, *in praxi excusari posse*: quod sciant, hæreticos Pacem mox violaturos, ideoque nec ipsis conditiones illicitæ servandæ sint nec animum eas servandi habere debeant, juxta Regulam DD. quam colligunt ex cap. 3 de Jurejur. & gloss. ibid. & l. cum proponas. 21. C. de pactis: *Quod fidem frangenti, fides servanda non sit.*

Atqui mysterium hoc non minus Pseudo-Theologicum, quam Pseudo-politicum manifeste refellitur.

Primo, pactum ex se illicitum non ideo *extra culpam est*, quia paciscens novit effectum per accidens non securum. Sic homicidii reus est, qui promittit alteri eadem innocentis, et si
pravi.

prævideat, se propter abitum illius, vel diligentem custodiam, id effectui dare non posse. Etsi ergo constet, conditiones illicitas ob alterius partis perfidiam non fore servandas, non ideo extra culpam sunt paciscentes. Trahit enim pactum malitiam ex objecto per se malo, eaque quoad substantiam completur in voluntate & actu paciscendi. Esse vero ex se malum objectum Pacis, quam desiderant Protestantes, agnoscunt Theologi; qui illam asylum hæreticæ perfidiæ eam ab causam appellant.

Deinde Cæsar & Status Catholici serio paciscuntur cum hæreticis, intendunt ergo se obligare ad servandas conditiones Paci insertas, licet illicitas. Nullum enim pactum est serium absque intentione implendi. Antecedens probatur.

I. Cæsar & Status Catholici non mentiuntur, nec perfide agunt ut hæretici. Habent ergo in animo, quod promittunt. Neq; enim dicas, illos excusari à mendacio, quia hæretici mentiuntur: sicut excusantur ab observatione Pacis, quia hæretici eam violant. Nam violatio Pacis per hæreticos, tollit obligationem ejus observandæ à Catholicis, juxta naturam pacti & Reg. cit. Mendacium autem hæreticorum non habentium in animo quod promittunt, non tollit falsitatem à verbis Catholicorum, si ipsorum quoq; mens à verbis discordet.

II. Cæsar & Status Catholici ejusmodi Pacem cum omnibus conditionibus, sub Imperialis, Regiæ, & Principalis dignitatis attestazione, & in verbo veritatis ac fidelitatis, confirmant. Hæc autem vim juramenti habent: Ergo vel peierant, quod nemo dicet, vel in animo habent quod promittunt.

III. Catholici Pacem promulgatam ejusque conditiones religiose implere solent, etiam quas illicitas esse demonstravimus. Sic si Amnistia, de qua agitur, ad restituenda Protestantibus, quæ Catholici legitime recuperarunt, extendatur: mox mandata emanabunt, quibus Catholici ejusmodi bonis & juribus cedere jubeantur, & recusantes Cæsaris autoritate imo & armis expellantur. (NB. Imo hoc ipsum aperte in recenti de-

creto Amnistiae continetur.) Quod in Pace Pragensi primum decretum, antea inauditum erat.

IV. Etsi Protestantes fidem frangant, Catholici tamen constanter eam observant; quod perpetua experientia à Pace Religionis hucusque confirmat. Nam post eam novis spoliationibus, & frequenti rebellione multipliciter licet violatam ab hæreticis, Catholici semper fidem servarunt. Paciscuntur ergo serio, sive cum intentione implendi, non solum ex natura pacti secundum se, verum etiam contra illius naturam: cum ab hæreticis fidem frangentibus fidem servant, quam nec dare potuerunt, nec si dare potuissent, ad alterius partis perfidiam ea tenerentur.

Tertio denique, si semel concedimus, posse pactum ex se illicitum excusari, quod paciscentes sciant, ob perfidiam alterius partis id non fore observandum; licebit quantumvis impias condiciones Pacis causa sancire, cum quibusvis hostibus, quos constet ob notam perfidiam mox fore foedifragos. Fas ergo erit, Turcis v. g. aut Ethnicis, si Pacem aliter non admittant, spondere, nos Mahometum vel Idola culturos, & pro Religione Christiana Alcoranum observaturos: modo constet, Pace mox ab illis violanda, condiciones tam impias non fore implendas. Vel enim omnes condiciones illicitæ sic purgantur, vel nullæ. Hæc scilicet praxis novæ Theologiæ, foedera cum hæreticis sancienti est, Ecclesiæ Dei, omnibusq; retro Orthodoxis Theologis ignota, & præcepto profitendæ fidei adversa. Quam si in praxin recipimus, in eo sumus, ut Pacis studio à fide deficiamus.

RATIO VII.

PAX ejusmodi absque comparatione magis inordinata est mendacio, quod necessitatis causa licere negant Catholici.

Mendacium ex genere suo una solum inordinatione laborat, quod aliquis voce significet id quod non habet in mente, ut ait

S. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3. Ob hunc verborum abusum, naturali eorum institutioni repugnantem, Aristoteles 4. Ethic. 7. natura magistra pronuntiat, mendacium esse per se pravum & fugiendum. Omnesque hodie Catholici cum S. Augustino lib. contra mendacium, & de mendacio juxta cap. super eo, de usuris, consentiunt: illud ex genere suo esse peccatum, neque ullius boni intentione aut mali vitandi causa licere mentiri; contra Cassianum, qui Collat. 17. 18. 19. 20. *usum mendacii, perinde ut hellebori probat*, & alios quosdam Veteres: quorum error licet in levibus mendaciis fuisset tolerabilis, ad gravia tamen perniciofa & blasphema salva fide extendi non posset.

Nunc multiplicem Pacis, quam desiderant Protestantes, inordinationem, cum unica mendacii inordinatione componemus.

I. PAX ejusmodi *repugnat ordini luminis naturalis*; quod non solum monstrat, malum non esse faciendum, sed neque eidem cooperandum, suffragante Apostolo 1. Rom. v. ult. Multiplicem autem cooperationem cum hæresi malorum pessimo in tali Pace contineri, demonstravimus RAT. I.

II. *Violat ordinem Caritatis Divinae & Religionis*; non solum in utriusque injuriam hæresi cooperando, verum etiam veræ Religionis falsam exæquando, in dignitate illæfæ famæ, libertate eam profitendi, defensione, perpetuitate, & denique juris publici autoritate, ut ostensum est RAT. 2.

III. *Evertit ordinem Caritatis proximi*; non solum per hæresin cooperando perditioni animarum, sed etiam velut ex officio, ad hæresin vel injustam emigrationem, si hæretico Principi placeat, compellendo. Catholicam deinde Religionem & Catholicos ex bonis & locis legitime recuperatis expellendo, ut ostensum est RAT. 3.

IV. *Excedit ordinem Justitiæ*; usurpando jurisdictionem non competentem in Causas Religionis, Personas Ecclesiasticas, & bona ac jura Ecclesiarum, ut declaravimus RAT. 4.

V. *Peccat in fidelitate*; contra Officium & obligationem

Cæsaris

Cæsaris Statuumque Catholicorum, maxime Episcoporum, ut liquet ex RAT. 5.

VI. Denique *veritatis quoque ordinem perturbat*; est enim frustratoria sive fallax, adeoque grande mendacium, formale quidem apud intelligentes, materiale apud eos, qui defectum materiæ & potestatis ignorant, ut manifestum est ex RAT. 6.

Ex qua tam multiplici, gravissimaque inordinatione, necessario ita concludimus. Deus unicam levissimamque jocosum vel officiosum mendacii inordinationem, publicis Ecclesiæ aut Reipublicæ necessitatibus non condonat; sed neutram vult mentiendi conservari; Ergo multo minus alterutram vel utramque vult conservari hac inordinatissima Pace, quæ Ordinem Naturæ, Religionis, Caritatis Dei & proximi, Fidelitatis, & ipsius denique Veritatis gravissime violat. Neque vero ratio reddi potest, cur in summa licet necessitate, inordinatum, adeoque peccatum sit, aliud verbis significare, aliud in mente habere; non sit autem inordinatum seu peccatum, cooperari malo contra lumen naturæ veræ Religionis falsam æquare; proximum in ruinam spiritualem impellere; usurpare potestatem non competentem; in perpetuum spondere, quæ officio repugnant, pactum denique frustratorium & fallax inire. Tam enim intrinsece laborat PAX ejusmodi sextuplici hac inordinatione, quam mendacium una simplici. Aut ergo licitum est mentiri Reipublicæ & Religionis causa, aut illicitum est sic pacisci.

RATIO IIX.

PAX ejusmodi Ecclesiæ Dei, Summorum Pontificum, SS. Patrum, Veterumque suffragio destituitur, & damnatur.

§ I.

SS. Patres.

Nullum

Nullum exemplum aut suffragium SS. Patrum, Veterum DD. Summorumque præcipue Pontificum, pro hac Pace allegari potest, etsi tot hæresium, hæreticorumque procellis Ecclesia Dei jactata fuerit, ut dubium non sit, tale remedium Spiritu S. suggerente sæpius quæsituros fuisse ejus Antistites & Doctores, si legitimum esset. Non solum autem eo nunquam usi sunt, sed etiam oblatum constantissime rejecerunt, expeditumque damnarunt. Cujus rei exempla rariora extant, quod ejusmodi pacta Legibus Divinis tam manifeste repugnare Veteres crederent, ut nec hæretici quidem ea postulare auderent, de Pace autem perpetua absoluta & inconditionata impetranda ne quidem somniarent.

S. Ambrosius Valentiniano Imp. Ecclesiam Mediolani pro Arrianis postulanti, intrepide id negavit, nulla periculi sui habita ratione. Responsum suum ipse commemorat ep. 33. ad Marcellinam. *Allegatur, ait, Imperatori licere omnia; ipsum esse universa. Respondeo, Noli te gravare Imperator; ut putes te in ea, qua divina sunt, Imperiale aliquod jus habere.* Habet historiam hanc prolixè Baronius Anno Christi 300. Nobis licet sciscitari: Si Imperator tempore S. Ambrosii nullum in Divina Jus Imperiale habuit, quo postea anno, quo Privilegio, quo Pontifice illud acquisivit?

S. Johannes Chrysostomus, uti refert Sozomenus l. 8. c. 4. Gaynæ summo exercitus Cæsarei Duci Arriano, Ecclesiam Constantinopoli concedere noluit, etsi Arcadius Imp. ob Gaynæ rebellionem, in extrema Imperij, imo & Religionis necessitate, id impensissime flagitaret. Respondit vero S. Chrysostomus: *Satius esse Imperio cedere, quam prodere domum Dei, & à Religione deficere.* Non quod Arcadius à fide Catholica deficere cogitaret, sed quod Religionis quædam violatio S. Chrysostomi judicio foret, si Imperator quidquam juris sibi in Ecclesias usurparet.

Hunericus convocatis universæ Africae & vicinarum insularum Episcopis, ablatas Ecclesias se redditurum promisit; si ju-

rarent

Q

rarent, se desiderare ut filius Hunericus ei in Regno succedat, & ad regiones transmarinas epistolas non directuros: sed præter aliquot simpliciores, qui verebantur, ne populus Dei in posterum diceret, quod vitio Sacerdotum non fuerint Ecclesie restitutæ, reliqui sanctitate, doctrina & martyrio deinde illustres, teste Victore Uticensi lib. 3 de persecut. Wandalorum, sentientes dolum fraudis, jurare noluerunt: etsi eo juramento Religionem, Ecclesias, exilium, mortem, famamque Episcoporum redimi non solum potuisse, verum etiam debuisse, hæsterni hodiernique Theologi & Politici judicabunt.

De aliis PP. & DD. qui ante Pacem Religionis scripserunt, id univèrsim dixisse sufficiat: nullius Orthodoxi Scriptoris Theologi suffragium pro tali Pace posse produci. Cujus præcipuos articulos decem fere annis, antequam PAX Religionis conderetur, confutavit libris sex adversus hæreticos Conradus Brunus, Ottonis Cardinalis Truchsesii & Episcopi Augustani Cancellarius.

§. II.

Summi Pontifices.

S. Joannes Papa I. & Martyr, An. Chr. 526 à Theodorico Rege Italiae Arriano, Constantinopolim ad Justinum Imp. ire compulsus cum eo inter alia mandato: ut Imperatorem permove-
veret ad reddendas Arrianis Ecclesias in partibus Orientis, id nisi faceret, se totam Italiam gladio perditurum: impius mandatis non solum non paruit, verum etiam suffragante sibi Justino piissimo Imperatore, quascunque illis in partibus Arrianorum Ecclesias reperire potuit, Catholicas consecraviz. Ita ipse testatur in Epist. ad Episcopos Italiae, qua, post reditum in carcerem à Theodorico coniectus, eosdem hortatus est, ne periculi aut necessitatis causa tyranno cederent. Et quanquam, ait, prædictus Theodoricus Rex, eorum (Arrianorum) peste tactus intrinsecus, nos & omnem regionem nostram perdere, & gladio & igne consumere minetur: nolite tamen propterea desicere, sed viriliter in agro Domi-

Dominico elaborare studete. Et juxta veritatis vocem: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. Quæ verba in Pacis, quam hodie desiderant Protestantes, condemnationem, paulo post gloriosus Martyr suo sanguine obsignavit. Vt ruborem inde mutuentur, qui adversus auctoritatem & rationem frontem perfricuerunt. Sed de S. Joanne prolixè Baronius An. Chr. 525. & 523.

Paulus III Carolum V graviter reprehendit ob eosdem fere articulos, qui postea Paci Religionis inserti sunt, ad tempus hæreticis concessos in Comitiiis Spirensibus An. Chr. 1544. Qui idem jam ante, cum ex sententia Statuum in Comitiiis Ratisbonensibus An. Chr. 1541, quorundam articulorum ab Ecclesia dissentientium, quoad per Oecumenicum Concilium declarentur, tolerantia ab eo peteretur, id facere recusavit: *quod neque Christiana & Catholica veritas, neque sua & Apostolica Sedis dignitas id permetterent*, ut ait in Bulla indictionis Concilii Tridentini.

Paulus IV edita Bulla Paci Religionis (quæ ipso 23. Maij, An. 1555 ad Pontificatum evectum, quatuor post mensibus 25. Septembris, Augustæ in Comitiiis conclusa fuit) contradixisse postea fertur. Nam ipsis Comitiiis Legatus Apostolicus non interfuit. Cardinalis enim Moronus ad ea missus, audita morte Julii III qui 23. Martii decesserat, mox in Urbem ad novi Pontificis electionem rediit; comite Ottone Cardinale Truchsesio & Episcopo Augustano. Sed ante eorum adventum 9 Aprilis electus est Marcellus II ipsoque Pontificatus initio 1 Maij vita functus. Quæ duorum Pontificum mors, & tertii electio recens peracta, causa fuit, quo minus Legatus Apostolicus ad Comitiiis denuo mitteretur, & nomine Sedis Apostolicæ Paci Religionis se opponeret.

Etsi vero Pauli IV Bullam, seu litteras ad Carolum V, nobis videre non contigit: ejus tamen de Pace Religionis sententia ex epistola Antonii Possevini ad Regem Poloniae, quæ habetur in fine operum ipsius, manifesta est. Possevinus enim Regi Ste-

phano, ne hæreticis Poloniæ libertatem hæresis Paci Religio-
nis similem concederet, non aliis argumentis persuasit, quam
quæ Cardinalem Hosium, à Paulo IV de memorata Pace inter-
rogatum, protulisse testatur. Præcipue notanda sunt ea verba:
*Non ignorat Sanctitas Vestra, quod N. agnoverit, quam absurda,
quamque multa impia, decretum hoc in se contineret, quodque
multum resistans, multis prius profusis lacrymis invitus subscri-
pserit. Et paulo infra: Certe concedere, qualia fuerunt in illis
Comitiis postulata, nihil aliud fuit, quam Christum negare, &c.*
Etsi vero Possëvinus, neque Cæsaris FERDINANDI nomen,
neque Pacem Religionis exprimat, evidens tamen est, ex tem-
pore Pontificatus Pauli IV & mentione rerum Germanicarum;
& quod ea libertas Confessione Augustanæ in solo Imperio re-
ceptæ concessa dicitur; quod denique articuli ab Hosio pro-
ducti, in Pace Religionis reperiantur; eam ipsam ejusque auto-
rem FERDINANDUM condemnari.

Pius V anno Chr. 1566 Cardinalem Joannem Franciscum
Commendonum Augustam ad Comitiâ ablegavit, pauloque
post per litteras eidem mandavit, ut si quæ adversus Concilium
Tridentinum decreta fierent, eaque Cardinalis impedire non
posset, nomine Sedis Apostolicæ protestationem interponeret.
Quod his præcipue verbis fecit: *Itaque ut muneris mei partes
hac in re præstem, ac ut ejusdem S. D. N. jussa hac in parte exe-
quar: postquam S. C. M. MAXIMILIANVM II Prælatos ac Prin-
cipes Catholicos non modo semel, sed bis & pluries, ob D. N. JESV
Christi viscera obtestatus sum, requisivi, & admonui, ne permit-
tant ac consentiant de veniri ad hanc tacitam vel expressam con-
firmationem Recessus Anni 1555 (quatenus continet Pacem Reli-
gionis) ob quam aliqua ratione, vel modo minima etiam in parte,
Concilii Tridentini decretis, præsertim in ejus dogmatibus, præ-
judicari possit. Et cum mihi facultas non detur, hoc Officium præ-
stare publice in eorum Congregationibus & Conciliis, ob interven-
tum nonnullorum Principum, qui Religioni nostræ adversantur,
& ad evitanda scandala, quæ oriri possunt; coram Notario & Testi-*

onaliq

bis

bus protestor nomine S. Sedis Apostolica, ac S. D. N. me nedum hisce eorum Ordinationibus & Statutis non consensisse, & consentire, verum etiam expresse contradixisse & contradicere. Prouis & nunc contradico ad perpetuam rei memoriam. Ne vero quis de hac protestatione ambigat, noverit ejus exemplum authenticum in Archivio Episcopatus Augustani asservari, unde hæc exscripsimus.

Urbanus IIX, datis literis, quas Nuntius Apostolicus Anno 1631 Francofurti Legato Cæsaris exhibuit; neque Cæsarem, neque alios Status, aut Episcopos, potestatem habere, de Ecclesia bonis aut juribus quidquam hostibus Ecclesia in ejus præjudicium per pacta tradendi aut permittendi, aperte significavit. In eandem sententiam respondit Romæ Anno 1634 Legato Electori Moguntini: nimirum Catholicos non posse cum hæreticis de bonis Ecclesiæ & Religione pacisci, imo nec Papam posse dare consensum, aut potestatem. (NB. Eiusdem Pontificis nomine adversus Amnistiam nuper Ratisbonæ conclusam protestationem Cæsari obtulit Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus, Dominus Gaspar Archi Episcopus Athenarum, ad S. C. M. cum potestate Legati de Latere Nuntius, in hæc verba.

Cum in præsentibus Imperialibus Comitibus, de mandato V. C. M. in hac Ratisbonensi Civitate convocatis, conclusum fuerit super Amnistia infra scripti seu alterius tenoris, &c. ac diversa fuerint ab Hæreticis producta in Directoriū, ut vocant, gravamina; cum hæc sint contra SS. Patrum Decreta, Concilia Oecomenica Generalia & Constitutiones Summorum Pontificum, Ideo Ego Gaspar Archiepiscopus Athenarum S. D. N. Urbani Papæ IIX ac S. Sedis Apostolica Nuntius, Sanctitatis Suae ac S. Sedis nomine, sicuti sui Pastoralis Officii sollicitudo postulat, C. M. V. ut Catholicum Principem, & Ecclesia Catholica Romana Advocatum ac Defensorem rogo, requiro & hortor: ut Majorum suorum vestigiis inhæreat, & ut pietatem M. V. decet, incolumitatem & integritatem, & Religionis Catholicae, & Ecclesiasticorum ac priorum locorum, Personarumque Ecclesiasticarum in-

demitatem tueatur: neque permittat, aut consentiat secus quid. Alias omni meliori modo ejusdem S. D. N. ac Sedis Apostolica nomine repugno & resisto; meque semper repugnare & resistere velle profiteor; prout certus sum, quod idem S. D. N. ac ipsa Sedes Apostolica repugnabit & resistet. Datum Ratisbone 18. Aprilis Anno 1641.

Sane quo animi sensu Sua Sanctitas acceperit id, quod Deputati Francofurti 22 Augusti 1643. anni super Bonis Ecclesie Protestantibus tradendis statuerunt, & S. Cæsareæ Majestati approbandum obtulerunt, patet ex Brevis Apostolico ad Reverendissimum & Illustrissimum Dominum Episcopum Augustanum ex Urbe 17. Oct. Dato in hæc verba. **VRBANVS PP. VIII,** *Propositam Francofurti de Ecclesiasticis Bonis Hæreticorum potestati committendis sententiam, ex Fraternitatu Tua litteris, tum etiam ex (supplici libello ad Nos transmissio, non sine ingenti molestia audivimus. Nempe facile est conjicere quam inde animarum pernicies, & sacri cultus imminutio expectanda esset. Et tamen Imperator Electus pietate pollet, eam erga Ecclesiasticos gerit propensionem, ut minime verendum arbitremur, ne improbum illud consilium constanter simul & religiose rejiciat. Nos quidem ut Pontificii muneris partes impleamus, cuncta, qua è re fore significasti, officia accurate adhibuimus, Deumque precamur, ut optatus exitus gravissimo negotio haudquaquam desit. Interim qua par est laude prosequimur insignem Zelum Fraternitatis Tue: cui jugem à Divina Clementia felicitatem petimus, & Apostolicam benedictionem ex animo impertimur. Datum Roma die 17. Octobris. 1643.*

Adversus tot Pontifices Pacem talem, qualem desiderant Protestantes, seu suadere seu probare, est viam sibi aliisque ad supremam in Ecclesia auctoritatem enervandam aperire. Profecto ambigua foret Dei erga Ecclesiam providentia, si Christi Vicarium in tantis Religionis Catholicæ necessitatibus decipi pateretur in ea Pace repudianda, quam Theologi & politici hujus

hujus seculi salva conscientia non solum iniri posse, sed etiam illicite recusari, pronuntiant.

§. III.

Cæsares & Principes Statusque Catholici.

Honorius Imp. Attalo Tyranno Africam tentaturo Religionis libertatem rescripto Donatistis concesserat. Id cum teste Baronio A. C. 410 in magnum Religionis Christianæ dispendium redundaret, rogantibus Episcopis rescidit, postridie ejus diei, quo Roma capta est ab Alarico, ut constat ex l. 51. Cod. Theod. de hæreticis. Paulo post misso Marcellino Tribuno, eisdem Donatistas ad Collationem illam celeberrimam cum Catholicis adegit. Præclare vero expendit Orosius l. 7. c. 24. Honorium, quod licet undique bellis obrutus, & à multis Tyrannis oppressus, à Religionis Catholicæ adversus hæreticos tuendæ studio se non passus sit absterreri, mirifica à Deo beneficia consecutum. Apparuit sane, quam verissimum atque certissimum sit, tunc Deum curare ac tueri Principum regna, cum ipsi Principes pro Religione laborant. Contra vero cum id negligitur, vel humana prudentia, (quæ ex Apostoli sententia Deo inimica est) in religionem peccatur, ipsa Imperia in deterius prolabi, penitusque consumi, ait Baronius Anno Chr. 411. n. 38.

Sigismundus Imp. cum post multas elades ab Hussitis acceptas, nec inducias quidem ab iis impetrare posset, nisi Religionis libertatem, & utriusque speciei usum indulgeret, Ecclesiasticos præterea bonis externis ablatis ad vitam scilicet Apostolicam redigeret, &c. nihil horum concessit, in summa licet difficultate constitutus. Nihilominus, Deo constantiam remunerante, iniquis postularis maturioris deliberationis spe elusis, in Urbem Pragensem receptus, & Rex Bohemiæ coronatus est, referente Bzovio to. 15. An. Chr. 1420. n. 9. Utinam sicut Protestantes, Pacis, quam desiderant, ideam ab Hussitis cum multis erroribus acceperunt; ita Sigismundi successores, negandæ ejusmodi Pacis exemplum ab eodem sumerent!

Caro.

Carolus V à constantia reprimendi hæreticos, in nimiam adversus eos indulgentiam deflexisse visus est, cum An. 1544. Spiræ in Comitibus, iisdem fere conditionibus Pacem temporariam sanxit, quas postea PAX Religionis æternitate donavit. Harum vero conditionum non solum illum deinde poenituit, verum etiam pleraq; defectu maxime potestatis, irritas declaravit, in instructione, quam Ottoni Cardinali & Episcopo Augustano Anno 1555 Legato Bruxellis misit 10 Aprilis Anno 1554. Anno deinde sequente, Comitibus jam cœptis, ad eundem Cardinalem, & Legationis socium Jurisconsultum Bruxellis 9 Junii hæc scripsit, quæ ex Germanico reddimus.

Cum præterea nesciamus, quomodo tractatus præsertim in causa Religionis, in dictis Comitibus successuri sint: & tamen vereamur, ne ab aliquibus tam gravia puncta proponantur, quibus si coram adessemus, nulla ratione assentiri possemus, vel deberemus: ideoque præfatum dilectum Fratrem nostrum Romanorum Regem (procul dubio contra Dilectionis suæ mentem & voluntatem, utpote quem semper pro Christiano Rege habuimus & habemus) aliqui Status vehementissimi urgeant; hanc ob causam neque Dilectio tua, neque Tu ulli rei Nostro Nomine auctoritatem præstabis. Sed Dilectionem suam (cum eidem omnem potestatem & facultatem absolute tractandi & decernendi tribuimus, tamquam Romanorum Regi & post Nos in Imperio supremo capiti) non solum quantum in istis efficere & obtinere poterit, verum etiam in omnibus rebus occurrentibus absolute tractare & decernere permitzatis. Neque Nostro Nomine quidquam addetis, nisi ut Dilectioni suæ subjectissimam operam exhibeat: & res omnes pro viribus ad optimum exitum deducere laboretis. Hæ literæ una cum Instructione extant in Archivio Episcopatus Augustani, & habentur in appendice Compositionis Pacis lit. B. & D.

Ex quibus apparet, Carolum V, in summis illorum temporum necessitatibus, Pacem Religionis illicitam judicasse: ideoq; in eam consensurum non fuisse, si præsens fuisset. Imo neque directe consensisse dici potest, cum per Commissarios suo nomine

mine ratam haberi noluerit; & Regi Ferdinando potestatem talis Pacis fanciendæ minime contulerit, quam sibi non competere, in Instructione & literis ad Cardinalem Ottonem paulo ante pronuntiavit.

Sed neque Ferdinando auctori suo eam Pacem probatam fuisse, non ignoravit Paulus IV: *quod nimirum agnoverit, quam absurda, quamque impia multa decretum hoc (Pacis Religionis) in se contineret; quodque multum resistans, multis prius profusis lacrymis invitus subscripserit, cum à nulla re magis, quam à tali subscriptione mens illius abhorreret: ut memorato Pontifici respondit Cardinalis Hofius, teste Possentino, in Epist. ad Stephanum Regem Poloniae. Cui ergo ejusmodi PAX arrideat, quam ipse conditior poenitentis animi lachrymis deploravit?*

Ejusdem rei argumentum quoque est: quod cum Carolus V. An. 1544, absque consensu Statuum, ex plenitudine prætentæ potestatis, eisdem articulos de Religione & bonis Ecclesiasticis, quos postea irritos declaravit, sanxisset, FERDINANDVS sciens, ipso Carolo teste, *tantam potestatem neque illi neque sibi competere*, absque Archi-Episcoporum & Episcoporum consensu Pacem Religionis inire noluit. *Pro oneroso reputatur, quod C. M. sicuti ante Anno 44 factum est, quidquam in se suscipiat; Episcopi omnia agenda sunt*, ait Conradus Brunus in literis ad Cardinalem Ottonem 1555 die Pentecostes datis. Sed cum Episcopi neque dispensandi neque renuntiandi jus habeant, ut ostendimus RAT. 41 hoc exonerandæ conscientiae consilium frustra susceptum esse apparet.

Vt magis pateat sensus FERDINANDI Primi circa potestatem Principum Sæcularium in bona Dei & Ecclesiæ, simulque contra Goldasti pudendam calumniam vindicetur egregii Principis pietas & conscientiae studium, licet subicere extractum Testamenti ipsius, è Germanico in Latinum versum, & eorum qui modo publicæ Pacificationis consilia tractant, lectione ac imitatione dignissimum. Is talis est.

Caterum ad animum nostrum Regium reduximus, qualiter

R

STATUS

*Status nostri Regni Bohemici opinentur, usum ac consuetudinem
 obtinuisse, quod Fundationes, Monasteria & bona Ecclesiastica
 inter Cameralia nostra bona recensenda sint, adeoque Nobis velu-
 ti Regi Bohemia jus competat, ejusmodi bona non tantum ad
 tempus, sed etiam hereditario & in perpetuum mutandi, atque
 ad alios pro libitu transferendi. Quod insuper tempore nostri
 Regiminis in tabulas Regni publicas articulus irrepserit, quo Ec-
 clesiastici prohibentur bona Ecclesiastica à nobis & Prædecessoribus
 aut Successoribus Nostri Bohemia Regibus ad alios translata aut
 transferenda, repetere. Sed quando jam rem accuratius expendi-
 mus, sane deprehendimus bona quidem Ecclesiastica sub secularium
 Principum potestate constituta, & in sustentationem famulorum
 Dei, ad ipsius Omnipotentis honorem destinata, à Saculari potestate,
 non minus quam ipsa propria Principum bona Cameralia, protegi
 ac defendi debere: Sed qua equitate quoque prætextu Nos cum
 Bohemicis Nostri Statibus, aut quivis alius Magistratus Sacula-
 ris, potestatem nobis arrogemus, bona Omnipotenti Deo in aug-
 mentum divini sui cultus, sustentationem Ministrorum Ecclesia
 & Deo dicatarum personarum collata ac donata, Bonis Nostri
 Cameralibus æquandi aut accensendi; adeo ut liberum nobis sit
 illa pro libitu mutare, alienare, ac transferre, aut cuilibet alteri
 ea bona fide & secunda conscientia accipere, penitus non dispicimus.
 Cum potius omni Juri & equitati congruum sit, ut illa, qua semel
 Deo dicata, & in ejusdem cultum destinata sunt, nec Nos, nec ul-
 lus alius aliò transferat, multo minus veluti sua attrahat, expen-
 dat, aut dilapidet. Quapropter cum nemo non æquum aestimet,
 quod nullus proximo suo id quod ipsius est invito eripiat aut at-
 trectet; merito ac deliberatissima mente concludimus, neque
 Nobis neque Successoribus aut subditis Nostri Statibus Bohemia
 licere, Deo Omnipotenti Creatori ac Redemptori nostro, aut ipsius
 Ecclesia sive ipsi devotis Personis Ecclesiasticis, quod ipsorum est,
 eripere, attrahere, aut transferre. Neque excusare Nos aut No-
 stros Status Regni Bohemia potest Nostri aut Ipsorum supra-
 dictum Privilegium, usus sive consuetudo, aut Tabula Publica
 Regni*

Regni; cum etiam in mere temporalibus ac profanis causis, inferiori aut subdito non competat ullum jus circa bona Superioris si-
ve Magistratus disponendi; adeoque neque Nobis, neque Nostri-
liceat ulla ratione Bona Deo Domino Nostro aut Justitia ejus se-
mel tradita, veluti Nostra propria tractare, alienare aut muta-
re. Idcirco cum errorem suum fateri ac emendare nemini grave
aut probrosum esse debeat, Nos pro Nostra parte prædictam liber-
tatem, consuetudinem, & articulum Tabulis Regni insertum, nul-
larum virium aut valoris esse decernimus. Quinimo ex animo do-
lemus, Nos in illum articulum consensisse, & ejus vigore aliqua Bo-
na Ecclesiastica hæreditariò aliis tradere animum induxisse, imo
quantum est ex Parte nostra datis litteris Nostro Sigillo munitis
aliqua de facto tradidisse. Hinc Filios Nostros charissimos Pater-
nè requirimus ac monemus, ut prudenter considerantes, quantis
gratis, opibus, ac felicitate Dominus Deus eos auxerit, qui loca
& bona Ipsi dicata favore homines vero Ecclesiasticos amore &
honore profecuti fuerunt; è contra vero quam horrendis pœnis
multati fuerint omnes illi, qui Ecclesias & Ecclesiasticos lacera-
runt, aut inhonorarunt, bonaque ipsorum ausu temerario attre-
tarunt, & in suos usus impenderunt; supradictam Ordinati-
onem Provinciale, quoad illum articulum, ne sequantur, sed di-
mittant, neque ulla Bona Ecclesiastica hæreditariò vendere aut
transferre præsumant; sed ejusmodi bona potius iis Beneficiis ac
Monasteriis, quibus dicata fuerunt, conservent, neque ulla ratio-
ne amplius obligent, sed quantum fieri ullo modo potest, jam di-
stracta aut oppignorata redimant, & Monasteriis ac Regularibus
Personis restituant: Nostroque Nomine Status nostros Bohemicos
moneant ac compellant, ut quantum est ex parte ipsorum, supra-
dictam ex se ipsa invalidam libertatem, consuetudinem, & arti-
culum, ultrò dimittant, bonaque Ecclesiastica, qua Nostra aut al-
terius traditione detinent, accepto justo pretio Ecclesiis restitu-
ant, eumque articulum (quem in rei veritate ex inadvertentia
veluti licitum irreperere sivismus) ex renovatis Regni Tabulis ex-
pungant, & Ecclesiasticis non minus quam aliis ea, ad qua Jus ha-

bent, Ordinaria Juris via quarere ac repetere permittatur. Ha-
 ctenus FERDINANDUS Cæsar.

Ex quibus constat, nullum Secularibus Principibus circa
 Bona Dei prostituenda, aut Protestantibus concedenda, jus
 competere.

Intellexerunt id Status Catholici in Comitibus Spirensibus
 Anno 1544, & Wormatiensibus Anno 1545. Cum enim in prio-
 ribus Carolus V. Articulos inauspicatos statueret; postero-
 ribus autem Colloquium ad disceptandas Religionis contro-
 versias indiceret: *neque in dictos articulos, neque in colloquium*
se consensisse, aut consentire posse, sed cum S. C. M. ex plenitudi-
ne potestatis ita sanxerit, se id toleraturos, & neminem contra
gravaturos, per parenthesis Recessui Comitiorum insertam,
 professi sunt. A qua sententia, cum plus interea juris non ac-
 quiviserant, neque in Legibus Divinis aut Ecclesiasticis depre-
 henderant, decennio post Anno 1555, Pontifice ne quidem con-
 sulto, infeliciter recesserunt, sanciendo Pacem Religionis Ar-
 ticulis Spirensibus longe deteriorem, utpote perpetuam, &
 quæ latissimam portam Apostasiæ Principum, omniumque
 Catholicorum, & ultimo Religionis Catholicæ exterminio
 aperiret.

Sit in benedictione memoria præstantissimi Cardinalis &
 Episcopi Augustani Ottonis Truchsesij, qui ne latum unguem
 ab hac veteri Ecclesiæ Dei & Staruum Catholicorum in Im-
 perio sententia discessit, sed gloriosa Protestatione eidem Paci
 contradixit: *Se potius corpus, vitam, & quidquid in terris obti-*
neret, abdicaturum professus, quam ut in ullum Tractatum vel
Articulum Turibus Religionis & Ecclesiæ adversantem consenti-
ret. Extat ea Protestatio in Compositione Pacis c. II. 9. 7. 8.
 n. 2. Quam in pluribus Comitibus sequentibus Anno, 1557, Anno
 1559, Anno 1566, & denique Anno 1570, aut ipse repetivit, aut
 per Legatos suos repeti jussit, cum in præjudicium Religionis
 & Ecclesiæ aliquid decerneretur.

Memoratum Cardinalem secutus fertur Gervycus celeberrimo-

rimorum monasteriorum Weingartensis & Ochsenhufani Ordinis S. Benedicti Abbas. Qui finitis Comitibus Anno 1555 id oraculum protulit: *de illis rebus transactum esse cum Protestantibus, quarum jus & potestatem Casar & Status Imperii nullam habeant.*

Præcessoris sui exemplo hodieque inhæret Illustrissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus D. Henricus, Episcopus Augustanus, dum per Legatum suum in præsentibus Comitibus eandem Protestationem suo nomine interposuit, quando aliqua in præjudicium Religionis & Ecclesiæ proponebantur; quam voluntatem tamquam Testamentum suum præclaris & Religionis zelo plenissimis litteris, sub finem vitæ ad Legatum suum Monasterium Westphalorum Anno Christi 1646 missis, ita confirmavit, uti post gratias eidem Legato pro officio rite præstito actas, omnium præterea bonorum, & ipsius etiam sanguinis jactura, idem obsignare paratus fuerit, modò Ecclesiæ Catholicæ jus suum integrum & illæsum hac ratione conservare posset. Aureæ omnino literæ sunt quarum copia si esset, ad teporem nonnullorum excutiendum hic insererem.

Quid contra Amnistiam recens cum Ecclesiæ detrimento conclusam fecerit, patet ex protestatione quam sua Celsitudo Casari, Cancellariæ Moguntinæ, & Consilii Principum Directoribus, per Adm. Nobilem & Magnificum Dominum Mattheum Wanner J.V.D. Cancellarium suum proposuit, in eum, qui sequitur tenorem.

Nos Henricus Dei & Apostolica Sedis gratia Episcopus Augustanus, &c. profitemur & declaramus, quod omnem desiderabilem Pacem re ipsa promovere, & pro Nostra parte fideliter servare, neque adversus quenquam hostile quid moliri velimus. Simul autem verbis & animo testamur, quod in articulos seu media Pacis ab Anno 1555 hucusque in Comitibus ac Tractatibus Imperialibus proposita & conclusa, vel imposterum proponenda & concludenda, quatenus Catholica Religioni, ejusque dogmatibus, juri- bus, rebus ac personis adversantur, sive multum sive parum, con-

sentire neque possumus neque volumus. Sed confidimus, Nos in Nostra obligatione, qua Pontificia Sanctitati & Sedi Apostolica, Casarea item Majestati, & Sacro Imperio Nos obstrinximus, constanter & inviolabiliter permansuros; ac potius, quam ut in ejusmodi Tractatum consentiamus, corpus, vitam, & quidquid in terris habemus, constanter abdicabimus. Coram Deo & universo mundo expresse protestantes, Nos in obligationum & juramentorum Nostrorum observatione, ut constantis animi Christianum & Germanum natum decet, usque ad mortem perseveraturos. Actum Dillingæ in arce Episcopalis residentie Nostræ, die 30 Januarii, Anno 1641.

NEQUE defunt externa Catholicorum exempla. Sæpius Regibus Galliarum contradixerunt ejus Regni Status Catholici, cum hæreticis libertas Religionis concessa fuit, conditionibus licet multo æquioribus, quam nostræ sunt. Nunquam enim in Gallia libertas Religionis hæreticis in perpetuum promissa est. Non concessa Statibus A catholicis facultas subditos pervertendi aut expellendi, neque introducendi exercitium hæreticum, nisi iis locis ubi resident; aut proscribendi Religionem Catholicam, quæ reducta est in omnia loca totius Regni, ubi ejus exercitium fuerat intermissum: restituere denique hæretici debuerunt omnia Ecclesiastica Jura ac Bona, Catholicis antehac erepta, uti constat ex edicto Nannetensi. Quo (autore Petro Matthæo *lib. histor. sui temporis*) Pacem & libertatem Hugonottis concessit Henricus IV Anno 1599, insertis præcipuis etiam articulis, quos Henricus III Anno 1577 & Carolus IX Anno 1561 sanxerant. Quod vero aditum ad dignitates hæreticis eoque in Galliis clausum aperuit, & nimis forte multis locis exercitium Reformatæ Religionis, ut vocant, permisit; legitimæ quidem permissionis limites excessisse videri potest, multum tamen excusationis habet, quod pacto perpetuo ista non firmavit, neque in Leges publicas Regni recepit. Cujus argumentum manifestum illud est, quod causas hujus Pacis & Hugonottorum non in Parlamento, sed in extraordinario & tempo-

temporario tribunali, quod Cameram Edicti appellavit, voluit tractari, teste eodem Matthæo.

SED claudamus exemplo vicino Catholicorum Statuum Hungariæ. Qui Anno 1638 in Comitibus Posoniensibus, cum hæretici illius regni Religionis libertatem Paci Religionis Germanicæ similem postulerent, protestationem scripto obtulerunt, ex nostræ sententiæ firmamentis affirmantes, non magis hæresi, quam homicidiis, aliisque sceleribus posse auctoritatem juris publici concedi, & defensionem promitti, etsi tolerari debeant zizania, quando absque periculo evelli non possunt. Sed Protestationis Epilogum audiamus.

Quæcum ita sint, ajunt, M. V. obsecramus per misericordiam Dei, per animæ suæ salutem, per inclytæ Domus Austriacæ illibatam fidem, per æternam posteritatis de M. V. judicium: ut hanc libertatem Religionis, omnibus legibus Regni nostri contrariam concedere non velit, articulisque includi non patiatur. Sed contenta sit M. V. tolerare, quod corrigere non licet. Si vero, quod absit, M. V. aliter statuerit faciendum, Nos omnes & singuli, Prælati, Capitula, Conventus, ceterique omnium Ordinum Status Ecclesiastici in Hungaria, coram Divina majestate, gloriosissimæq; Virgine Maria, item coram M. V. & toto mundo protestamur, Ordinem Ecclesiasticum nunquam censensisse, nec consensurum deinceps esse in hanc libertatis concessionem; atque adeo ante tremendum Divinæ Justitiæ tribunal rationem animarum, quæ occasione hujus libertatis æterna damnationi adjudicabuntur, à se transcribere. Rogamus vero M. V. ut hanc Nostram protestationem benigne ac clementer suscipere dignetur. Deus enim, qui corda scrutatur & renes, testis est, quod nullo alio fine hæc Nostra Reclamatio & Protestatio à Nobis profecta est, quam ut Nostra imprimis, quos Deus animarum salutem procuranda præfecit, deinde vero & cæterorum conscientia consuleremus. De cetero M. V. diu feliciterque ac digne imperare, à Deo votis omnibus ac sacrificiis contendemus.

Hoc tam illustri exemplo Hungari præluxerunt vicinis Germanis.

manis. Quod si imitarentur, non magis quam illi periclitarentur de jactura gratiæ & pacis humanæ: neque minus quam illi gratiam Dei & Pacem conscientiæ in tuto collocarent.

SECTIO V.

Argumenta initiò allata diluuntur.

Ad I.

Non est ex se illicitum.

Resp. esse ex se illicitam Pacem, qualem desiderant Protestantes, satis demonstratum est ex cooperatione tum directâ, tum indirectâ cum hæresi, ex injuriâ Creatoris & veræ Religionis; ex violatione Officii & usurpatione potestatis non competentis, ex comparatione cum mendacio & denique sensu ac exemplo Pontificum, SS. PP. veterisque Ecclesiæ. Quàm ergo *illicitum est in necessitate fidem negare, blasphemare, pejerare, adulterari, tam illicitum est cujusvis necessitatis aut periculi obtentu talem Pacem confirmare aut extendere.* Regula Juris in oppositum inducta procedit de illis, quæ jure positivo aut humano, non naturali & divino, sive secundum se prohibita sunt, ut exemplum Sabbati & jejunii ostendit.

Ad II.

Deus mala permittit.

Resp. Regiminis Divini exemplum suffragari permissioni primi & secundi generis, non tertii. Nam etsi Deus peccata dissimulat ad tempus, & subinde impedit, ne contra sapientiæ suæ ordinem mala & mali intempestivè tollantur, peccatis tamen nequaquam cooperatur. Neque enim ulli concedit impunitatem perpetuam, aut secluso fine majoris boni; neque libertatem peccandi legibus firmat, aut ad peccandum provocat, vel impellit, neque vitia virtutibus æquat, vel eodem loco habet, nec quicquam cum peccantibus paciscitur, nihil præterea contra officium supremi Domini & Moderatoris opti-
mi

mi maximi committit, cum peccandi libertatem naturæ rationali, quam liberam fecit, relinquit; ad bonum præmiis provocans, à malo suppliciiis absterrens, & nullâ in re potestatem incompetentem usurpans, qui quæcunque voluit, fecit in cælo & in terrâ. *His conditionibus si Cesar & Status permittant hæresin, quam tollere non possunt, Divina gubernationis exemplo rectè se defendunt.* Ex duobus enim malis minus eligendum esse, cum absque eligentis peccato fieri potest, & præstare aliquid quàm omnia perdere, nemo sanæ & bonæ mentis vel ambigit, vel negat. Si verò *minoris mali electio fieri nequeat, nisi cooperando peccatis, usurpando jus non suum, violando officium, aut aliter peccando, lucrum mundicum detrimento animæ non quærat, & perdamus omnia, ut seruemus Dei gratiam.* Ita faciendum esse nisi credimus, Christiani non sumus; & cum aliter facimus, Christianè non vivimus.

Ad III.

Zizania non evellenda.

Resp. I. Paterfamilias non prohibet absolutè ne eradicentur zizania, sed ne id fiat *cum periculo tritici*, id enim significat particula *forè*. Periculo isto cessante, & alio urgente, ne zizania triticum lædant, non est expectanda messis, sed maturè oportet evellere, teste S. Aug. l. 3. contra Parmenian. c. 2. & S. Th. 2. 2. q. 10. a 8. ad 1. Neque hujus rei *judicium pertinet ad Principes, qui etiam ipsi sunt serui, sed ad Patrem familias*, qui in terris non est alius, quàm Christi Vicarius sive Pontifex Romanus, ut notat Moldonatus in hunc locum Matthæi.

Resp. II. Urgente licet periculo tritici, non aliam zizaniorum permissionem à Patrefamilias injungi, quàm *primi & secundi generis*, quæ ad poenâ conniveat, & intempestivè impedi- entes coërceat, non *terti generis qua cooperetur*. Id verba aperte significant: *finite utraque crescere usque ad messem*. Non autem: spondete zizaniis absolutam impunitatem, vel publici juris autoritate ea in agros recipite, vel facite potestatem tri-
- 3
ticum

ticum opprimendi, vel ipsi in gratiam zizaniorum illud eradicat & zizania plantate; vel denique eodem pretio & loco utraque habete, & æquali cura custodite. Quæ omnia contra mentem & præceptum cœlestis Patrisfamilias, hæreticis, (qui præcipuè per zizania à SS. PP. intelliguntur) à Catholicis ejusmodi Pacem sancientibus, spondentur & præstantur.

Ad IV.

Vasa sacra vendi possunt.

Resp. I. Vasa sacra & quævis mobilia pretiosa Ecclesiarum, non solum propter pauperes, captivos, ædificia templorum & cœmeteriorum; juxta cap. Aurum II. q. 2. sed *pari & majori ratione, propter necessitates Imperii & præcipuè Religionis*, confringi, constari, & vendi posse ac debere; iidemque ex redditibus quoque Ecclesiarum & Ecclesiasticorum (legitima tamen autoritate) subveniendum esse. Quod hisce annis liberaliter fecerunt Ecclesiastici Status in Imperio & imposterum quoque pro viribus, etsi valdè accisis præstare parati sunt.

Resp. II. Prædia, pagos, oppida seu ditiones Ecclesiarum ad redimendam Pacem hæreticis concedi non posse, *simul enim per Regulam alti scilicet meri Imperii in Imperio receptam concedi deberet jus in animas*, Christi sanguine redemptas, ejusque baptismo initiatas, quibusvis vasis sacris pretiosiores. Neque enim loca subditis vacua capiunt Potestantes, sed hisce seducendis vel maximè inhiant. Qua eadem ratione etsi Ditiones Seculares hæreditate, vel alio Juris titulo acquirant, pacto tamen illis permitti non potest, ut hæresin introducant, & subditos reformem. Quare absque gravi peccato Status Catholicus Imperii hæreticum ditionis suæ hæredem scribere aut eam illi vendere non potest; per Regulam Religionis alto scilicet merito Imperio cohærentis, tradit eo ipso jus hæresin introducendi, & subditos pervertendi.

Secus est, *si Ecclesia, Monasterium, Pagus, oppidum situm in ditione hæreticâ Principis hæretici non habeat merum imperium,*

nec immediatè Imperio subiaceat: hæc namque urgente gravi necessitate vel causâ videntur (autoritate tamen Ecclesiasticâ) concedi, aut vendi posse hæreticis; cum enim hu locis nec tale quidem jus, quale PAX Religionis tribuere fingitur, in Religionem competat, nullum hæreticis traditur.

*Ad V.**Ecclesiasticorum obligatio & Fundatorum intentio.*

R Esp. Episcopos aliosque Ecclesiasticos obligationi suæ & Fundatorum intentioni satis facere, si legitima autoritate, & causâ exigente, thesauros Ecclesiarum partemque fructuum, promptè & liberaliter in subsidium Religionis & Imperii conferant. Ad Ecclesias verò & animas hæresi ac diabolo seu tradendas, seu prodendas, non solum non obligari, sed salvâ obligatione & Fundatorum intentione in id consentire non posse.

*Ad VI.**Necessitas facit omnia communia.*

R Esp. Bonorum temporalium divisionem & appropriationem ex jure humano procedere, non autem curam & salutem animarum. Quare necessitas illas communes non facit, ut cum pagis, prædiis, oppidis in discrimen fidei & salutis conjici possint. Neque jura Religionis & Ecclesiæ, quibus subditi & bona Ecclesiarum subjiuntur, potestas Secularis intra spheram suam continet; ut adeò in illum recidere non possint, sub quâ nunquam fuerant. Quis fructus sequatur ex eo, quod sub pallio necessitatis publicæ bona Dei attrectentur, & in redemptionem Pacis impendantur, docet dolenda proximè elapsi sæculi experientia. Et notat Matth. T ymp. in Speculo boni Magistratus sig. 71. argm. 1 § Eadem inhumanitas circa fin. Et argm. 6. Licet hæretici Catholicique nominales à multis annis quidquid potuerunt detraxerint Ecclesiasticis, eoique de facto contra data olim privilegia gravarint, quod tamen

138 JUDICIUM THEOLOGICUM.

nunquam profuerit Reipublicæ vel Regno invasisse jura Eccle-
 siæ. Etsi enim (inquit) videatur ea in re aliquid commodi acce-
 dere statui politico, illud tamen postea magnis plerumq; com-
 pensatur cladibus. Permittit enim Deus excitari bella intestina
 & externa, quibus Regiones vastantur, ærarium exhauritur,
 negotiatio avertitur, & pristina gentis gloria obscuratur. Adeo
 ut centies milliet plus damni accipiatur in poena, quàm fuerit
 commodi in culpa. Hæc ille. Consideremus fructus amarissi-
 mos Pacis Pragensis Anno 1635. Et Amnistia Ratisbonæ pro-
 missæ Ao. 1641. Quibus uti magna pars patrimonii Christi Pro-
 testantium importunitati cessit, ita à prostituentium Catholi-
 corum armis omnis Dei benedictio recessit. Id quod Gallo-
 rum felices erga Imperium successus, Germanorum autem
 Mars retrogradus, & Francisci Alberti Saxonis, Lamboii,
 Francisci Melonii, Archi Ducis Leopoldi Wilhelmi, aliorum-
 que ad Reinfeldam & Witten Veierum acceptæ clades; Pry-
 fachi, Vberlingæ, Villæ Theodonis, &c. amissio Archi Epi-
 scopatum Moguntini Coloniensis & Trevirensis, Ducatus
 Julia censis; Episcopatum Monasteriensis & Paderbornensis,
 devastatio luculenter demonstrant. Qui rerum successus si
 cum S. Scripturæ sententiis & exemplis conferantur, evidens
 pector Christiano divinorum judiciorum ordinem piè con-
 templanti, Deo summopere displicere Catholicorum in pro-
 digendum Ecclesiæ Patrimonium pronitatem.

Ad VII.

Absque hoc remedio PAX desperanda.

Resp. neque cedendum esse Ecclesiasticis cum læsione con-
 scientiæ, neque Pacem desperandam Germanis. Quam
 enim mundus dare non potest, aut non vult, Deus dabit, si ma-
 gnâ divini auxilii fiducia quæramus imprimus regnum Dei, &
 justitiam ejus. Vel enim concedet victoriam de hostibus, vel
 animos inflectet ad Pacem non iniquam, si ab ejus legibus de-
 lectere, ejus Patrimonium ac Honorem prodigere cessemus.

Vin^o

Vin' recens exemplum? Cum ab uno alterove mense Summus Pontifex conclusum Francofurtensium Deputatorum super anticipatione effectus suspensivi Amnistie & prostitutione bonorum Ecclesiasticorum improbasset, cum S. Cæs. Majestas eidem concluso subscribere non minus constanter quam pie renuisset, cum Electores Catholici re paulò accuratius discussa, menteque mutata in favorem Ecclesie propendere ac causam Piarum Foundationum S. Cæs. Majest. commendare animum induxissent; Mox ipsa Catholicorum fortuna in melius mutata & ad Düttlingam 24 Novembris, Anno Christi 1643 insigni miraculo contra copias Gallo Weinmarias nobilissima Victoria parta fuit. Quasi intento digito Catholicæ Republicæ Capitibus ostendere voluisset Deus, successus armorum feliciores non à prostitutione sed à defensione Ecclesiarum pendere. Id quod prudenter notavit Cardin. Baron. Annal. Ecclesiast. lib. 5. ad Annum 432. n. 3. Dum scribit: Ecclesie Religionis & jurium Ecclesiasticorum defensionem solidum esse ad sustinendam Imperii molem fundamentum ac sustentaculum, quo si careat, corruat necessè est. Idque cum in aliis mundi proceribus, tum evidenter in Regibus Francorum ostendi posse ait. Quamdiu enim defensores Ecclesiarum & rerum Ecclesiasticarum vixere Francorum Reges & Imperii Principes, ut Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, & alii, qui legibus, armis, multoque sanguine bona Ecclesiastica illibata servarunt, felices illi fuerunt, eorumque hostes victi, jugo submissi, nomenque Francorum summa gloria toto orbe diffusum; ubi verò direptione rerum Ecclesiasticarum, adversus Deum conflatum est bellum, imbelles populi, Reges socordes, & obtusa eorum facta sunt arma. Ut pluribus exemplis ostendit idem Baron. lib. 10. Annal. ad an. 545. num. 33.

Certe quantumvis Imperio necessaria & optabilis sit PAX tamen facultatem Rempublicam mediis illicitis pacificandi & conservandi, Deus nulli Principi aut Magistratui concessit.

S ;

Nec

Nec revocat Christus, quod dixit Matth. 16. v. 29: *Nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur.* Nec S. Paulus, quod scripsit: *non esse facienda mala, ut veniant bona.* Est bellum grande malum, scelerumque compendium, eoque deterius, quo diuturnius, sed non sicut cuneum cuneo, peccata peccatis pellere fas est; & præstat, vel maxima mala ferre, quàm minimum facere.

Ad VIII.

Bona intentio.

Resp. Pacem illicitam non magis exusari bonâ intentione, quam furtum animo dandi Eleemosynam, aut adulterium cum hæreticâ animo ipsam convertendi ad fidem. Inordinatio quidem, & pravitas ejusmodi Pacis, per accidens se habet ad intentionem paciscentium, ut in omni peccato contingit, teste S. Th. 1. 2. q. 72. a 1. *Nemo enim intendens ad malum operatur,* ait S. Dionysius cap. 4. de Div. nomin. (mallet quippe fornicator, aut posatur abesse deformitatem culpæ à delectatione Veneris & potûs, quam quærit) *quia verò ejusmodi pravitas sive deformitas, per se conjungitur actui fornicationis & in proposito conditionibus desiderata Pacis, ut demonstratum est: ideo bona intentio non excusat fornicantes, aut se inebriantes, adeoque nec ita paciscentes.*

Secus est de justo bello, aliisque similibus. Mala enim his adjuncta, non solum *per accidens se habent respectu operantis, verum etiam operationis*, quæ ex se benè fieri potest. Sic bellum justum gerere, ex se non est latrocinari, prædari, libidinari: sed Republicam defendere, vel injurias & damna legitimâ autoritate vindicare, quod ad officium justitiæ pertinet. Pacem autem, qualem desiderant Protestantes, sancire, ex naturâ actus & objecti est cooperari hæresi, eam veræ fidei exæquare, usurpare potestatem non suam, Officium denique & jusjurandum violare, quæ non per accidens, sed secundum se sunt illicita.

Neque

Neque juvat hæc metu majoris mali ab invitis fieri, quique hæresin maximè detestantur. *Est enim hoc quidem bona mentis indicium, quod non potest non laudari*, ut Cardinalis Hosius respondit Paulo IV. sed metus peccatum quidem minuit, non tamen tollit: neque enim præceptum fidei non violat, qui metu mortis sacrificat Idolis, quæ mente detestatur, licet minus peccet, quàm si eadem Deos putaret. Neque Petrus non peccavit, quia ex metu Christum non animo sed verbis, negavit. *Et si igitur Catholici cum Protestantibus juxta votum illorum paciscentes, animo hæresin non approbent: at re ipsâ tantum eidem concedunt exterius, quantum non nisi vera fidei debetur, ideoque peccant.*

Quod verò dicitur, multa in favorem Catholicæ Religionis hæc Pace contineri, est *excusatio in digna Christiano*, qui à Christo didicit *neque totius mundi lucrum cum detrimento anime sive peccato esse quarendum*, & à S. Paulo, *non esse facienda mala, ut veniant bona*. Neque fas unquam fuit peccata peccatis compensare. Non absolvitur judice Deo adulter, qui elemosynis, aliisque piis operibus turpitudinem exbusat, in quâ perseverat. Nec denique favor Religionis est solidus, cum hæresis illi æquatur, aut in periculum tantò nocentiùs, quantò speciosiùs, conjicitur.

Ad IX.

Exempla.

§. I.

De SS. Joanne Papa I. & Anathasio.

Resp. Gravissimam injuriam fieri S. Joanni Papa inde evidens est, quod calumniam refutat epistola ab ipso ex carcere scripta, quam allegavimus RAT. 8. §. 2. & Gregorius Turonensis ejus seculi scriptor, cap 40. de gloriâ martyrum; afferens, *Joannem cum ad Episcopatum venisset, summo studio hæreticos execratum, Ecclesias eorum in Catholicas dedicasse*
Neque.

Neque Theodoricus eum carcere & morte multasset, si Arrianis Ecclesias, uti injunxerat, impetrasset. Suscepit Joannes iussu Regis Legationem pro Arrianis eodem animo, quo Mater Machabæorum 2. Machab. cap. 7, *Antiocho Rege suadente, ut filio adolescentiori, qui solum carnificina fratrum supererat, fieret in salutem, per ironiam se obsecuram promisit: idq; mox gravissimis ad constantiam monitis re ipsâ demonstravit.*

S. Athanasius Constantino viribus impar, sapienter dixit se Arrianis templum Alexandria concessurum, cum præsertim inde majus bonum speraret, si vicissim pro Catholicis templum Antiochiæ obtineret: quod advertentes Arriani, permissionem templi Alexandrini libenter remiserunt. Neque, si hæretici ex aliquâ Urbe penitus expelli nequeant, nihilque præterea in præjudicium Religionis illis tribuatur, illicitum erit, *aliquod templum exercitio hæresis assignare;* ubi minori cum Catholicorum periculo & exacerbatione suâ, quàm in privatis ædibus, convenient: *Locum enim valdè extrinsecè se ad peccatum habet; ideoque licere meretrici aut usurario domum locare cum aliis tenet Sanchez tom. 1. lib. 1. in Decal. cap. 7. num. 20. Quod de templo quoque, exemplo Athanasii inductus, concedit Malderus, 2. q. 10. a. 11. eo nominatim casu, quando hæretici multa loca munita occuparunt, in quibus & ex quibus multos corrumpunt: admissuri in illis exercitium Religionis Catholicae, si aliqua ipsis vicissim Ecclesia relinquatur* Quod non magis illicitum est, quàm cum urgente necessitate templa in propugnacula, vel alios profanos usus convertuntur.

Exemplum Concilii Basileensis, ut nihil dicamus de ejus auctoritate, plus non probat, quàm simplicem tolerantium ad breve tempus. Neque enim exercitium suæ sectæ Hussitis sine gravi incommodo Basileæ tum negari potuit.

§ II.

De Imperatoribus.

Resp. Imperatorum antiqua exempla gratis produci. Nam qui

qui libertatem Religionis permiserunt, vel Christiani non erant, ut Julianus Apostata, vel Hæretici, ut Constantius, vel necessitate aut incautis consiliis impulsus, eam aliquamdiu concesserunt, ut Jovianus, Gratianus, Theodosius, Honorius. Equibus Gratianus & Theodosius unà cum Valentiniano, *seu necessitate cessante, seu facti pœnitentes*, severissimas postea leges adversus hæreticos tulerunt, quæ hodieque extant, c. de Summa Trinitate. c. de hæreticis, l. 2. Idem ab Honorio factum supra memoravimus sect. 4. rat. 8. §. 3. Qui perpetuam cum hæreticis Pacem, eaqve ratione quam hodie desiderant Protestantes, pepigerit, Imperator aut Princeps Catholicus, ante Tractatum Passaviensem & Pacem Religionis nullus potest commemorari. Hæc Pax fax fuit mali exempli præluceus aliis Principibus, qui hac in re deliquisse, aut delinquere videntur.

Ferdinandi I. & Catholicorum Statuum in fancienpa Pace Religionis consilium comprobare, nos prohibent lacrymæ, quas teste Cardinale Hosio, idem Ferdinandus, cum ei subscriberet, fudit; Argumenta itidem ex certissimis Scripturam ac Theologiae, principiis, SS. Patrum, Veterum Catholicorum, Summorum præcipuè Pontificum autoritate stabilita, à nemine versò hucusque convulsa.

Nuncium Apostolicum à PP. Societatis JESU persuasum Anno 1666. confirmationi Pacis Religionis non contradixisse, vanum est. Protestationis enim coram Notario & Testibus factæ exemplum authenticum supra Rat. 8. §. 2. allegatum, in Archivio Episcopatus Augustani extat. Fortè id effecerint, ne publice Protestatio fieret cum perturbatione & scandalo; Id enim verba Nuncii supra allata innuunt. Si plus dicti Patres suasere, solâ temporum necessitate sibi proposita, Pacis autem qualitate non explicatâ, nec intellectâ, falli potuerunt. Minus verisimile est, *Petrum Canisum beatæ memoria virum*, huic Paci patrocinatorum: cum enim is Cardinali Ottoni & Episcopo Augustano unicè carus, & Magistri Spiritualis loco fuerit, uti-

T

que

que ei persuasisset, ne Protestationi Ann. 1555. tam constanter sisteret, & toties tum in aliis, tum in illis ipsis Comitibus Anno 1556 eandem aut ipse repeteret, aut per suos Legatos repeti mandaret.

Pax Pragensis, quatenus certis annis definitur, improbanda non est. Quatenus autem Pacem Religionis, præcipue verò Regulam alti scil. meri Imperii confirmat, & hæreticis quosdam Episcopatus, seu bona Ecclesiastica à Catholicis recuperata, restituit, aliasque conditiones hæresi cooperantes vel usurpationem potestatis non competentis continet, nostro suffragio absolvi non potest. Ob quas easdem causas nec de Amnistia super conclusa mitius nobis sentire fas est: utpote in qua PAX Religionis & Pragensis quoque stabilitur, aliaque statuuntur, quæ veteri Christianæ Theologiæ repugnare, neque esse potestatis Imperialis demonstratum est. Theologi consultores quicunque fuerint veniam dabunt, si illorum opiniones SS. PP. Veterum Catholicorum, & Pontificum maximè auctoritati, receptisque Theologiæ principiis, postponantur.

Et si credimus non paucos, præsertim exteros, aliter pronuntiaturos, si Pacis Religionis, & conditionum tum illi tum nuperæ Amnistie insertarum, plenam solidamque notitiam haberent. Certè agi solum de sex scilicet Wirtembergiæ monasteriis, ut aliqui jactant, est glaucoma, quod suis alienisque oculis objiciunt, qui verum nec ipsi videre nec ab aliis videri volunt.

Quod ajunt Amnistiam esse instar potionis amaræ, quæ Religio & Ecclesia, ne penitus intereat corpus mysticum conservari debeat, minimè nobis persuadent, hanc seu similitudinem seu Parabolam esse Evangelicam. SS. Patres, Doctores Veteres, Summosque imprimis pontifices, quos Religionis Ecclesiæque vulneribus curandis Deus semper adhibuit, credimus esse medicos tam peritos, ut nihil causæ sit, cur aliis credamus esse pharmacum quod isti dicunt esse venenum. Non invidissent sancti Viri & Summi Pontifices sanitatem Provinciis

ciis

ciis hæresi infectis, si ejusmodi Pacem judicassent cum salute paciscentium posse consistere.

Censuerunt illi, censentque hæc foedera esse illicita, Divinisque legibus adversa. *Afferant aliquam causam idoneam hæsterni, hodierniq; Theologi, qua conscientia tranquillanda sufficiat cur in re tam gravi ipsis potius credere debeamus quam Sanctis Patribus, supremisq; à Deo constitutis Religionis moderanda, conservandeq; Antistitibus.* An quia aliter Religio conservari nequi? Atqui juxta doctrinam Christi præstat totius mundi lucrum negligere, quàm illicitum quid admittendo animæ detrimentum incurrere. Nec speciem veri habet, Deum aliis potius, quàm illis, quos Ecclesiæ suæ dedit Doctores ac Pastores, legitima Religionem conservandi consilia inspirasse. Nec Ecclesia ideo peribit, si peccatis nostris exigentibus, Deus à Germanis auferat Regnum suum, & det genti facienti fructum illius. Non transiliamus limites à SS. Patribus, Summisq; Pontificibus constitutos, & si vires nostræ non sufficiant, curam Religionis Ecclesiæque conservandæ ei relinquamus, qui dixit, neque portas inferni adversus eam prævalituras.

Non deniq; culpam in illos conjiciamus, quorum licet facta aut consilia forent alit quàm deberent, quæcunq; tamen dixerint nobis licere vel non licere, facienda vel non facienda esse, Christus præcepit. Etsi de illis, quorum potius sinistram suspicionem quàm notitiam habemus, quæque non sunt nostri fori, judicare temerarium est. Emendemus errores à nobis commissos, culpasque in Pace & Bello contractas, & apparebit nos reos esse, non illos, qui remedia adhibuerunt quæ potuerunt, alia adbibituri, si locus & spes fructus fuisset.

§. III.

De Judæis, Usuris & Lupanaribus.

REsp. Judæos ideo tolerari ab Ecclesia, quia testimonium fidei nostra habemus ab illis, licet fidei hostibus, & quasi in figura per ritus suos nobis representant quod credimus, ut docet S. Th.

12.q.10. a.11. Accedit eos in fine mundi credituros, ut vaticinas-
tur Oseas cap.3. & ex illo tradit S. August. lib.18. de Civ. cap.28.
ideoque hanc etiam ob causam rectè tolerari, cum in magnam
Christianæ Religionis gloriam illud sit redundaturum. Deni-
que est hæc *simplex solum tolerantia*, absque omni illicitâ coo-
peratione. Neque enim Judæi æquantur Christianis, sed ha-
bentur infames; neque ulla fit ipsis potestas Christianos per-
vertendi, aut Christianis ad ipsos deficiendi: neque alia conce-
duntur, qua hæretici sibi concedi volunt.

Usuras Judæis præsertim, licite permitti; tum ut alii ab hoc
peccato velut infami abstineant, tum ut pauperes Christiani
habeant unde in necessitate mutuum sumant, credimus cum S.
Th. 2. 2. q. 78. a. 4. *et si fatendum sit graviter sæpè in hac permissio-
ne peccari*, cum legitimarum causarum defectu, tum immo-
deratas usuras tolerando, tum denique lucrum injustum inde
quærendo. Est verò latum discrimen inter Pacem, de qua agi-
mus, & hanc permissionem si legitimè fiat. Directè enim non
permittitur usura Judæis, sed mutui acceptio Christianis; quæ
uti & ipsa mutuatio, est actus secundum se licitus: *et si usura-
rius sumat inde occasionem peccandi, ex malitia cordis sui.* Indu-
cere quidem hominem ad peccandum nullo modo licet; uti tamen
peccato alterius ad bonum, licitum est. *Quia & Deus utitur o-
mnibus peccatis ad aliquod bonum.* ait S. Th. 1. cit. Sic S. Augusti-
nus Epist. 154. Publicolæ respondit: *licere uti juramento ejus,*
*qui jurat per falsos Deos. Idem faciens, non peccato illius se so-
ciat, quo per demonia juravit, sed pacto ejus utitur bono, quo fi-
dem servavit.* Diversa ratio est Pacis, quam Protestantes vo-
lunt. Hæc enim, cum sit cooperatio cum hæresi, exæquatio
ejusdem cum Religione Catholica, impulsio animarum in
ruinam spiritualem: usurpatio juris non sui, volatio officii, &c.
non est usus peccati alieni, sed commissio proprii.

Lupanaria ad retrahendos homines à gravioribus flagitiis,
quæ aliàs quibusdam locis invalascerent, tolerantur absque
omni cooperatione illicitâ. Neque enim libidini detrahitur
infa-

infamia, nec frequentantibus lupanaria portæ patent dignitatum; neque libertas datur quæquam ad ea compellendi, aut integras Civitates, Oppida, Ecclesias, Monasteria in lupanaria convertendi. Sed ne omnia inficiant, aliqua areæ conceduntur, fimetis & haræ porcis, imposito etiam tributo, ne magis alliciat gratuita peccandi licentia; neque impediuntur parentes alique, quò minùs liberos inde avocent, aut delinquentes castigent. Multa ad hæc præclare sunt instituta pluribus locis, quæ ad lupanarium odium & emendationem delinquentium valeant, ut domus erectæ pro pœnitentibus, &c. secus se habet PAX quam suspirant protestantes, ut ex dictis manifestum est. Ut verò in permissione lupanarium graviter aliquando peccari posse, aut solere non negamus; ita ejusmodi permissionem, si quidquam cooperationis habeat, non excusamus.

§. IV.

De Consilio Reboami, 3. Reg. 12.

Resp. Calumniam esse, non exemplum. Juvenes & Collatanei consilium Robamo dedere, cui obsecutus se & totum ferè Regnum perdidit; *non Religionis, sed stultæ in subditos severitatis causa.* Consilii de non sancienda Pace cum hæreticis, qualem ipsi extorquere volunt, autores sunt, Christus magni Consilii Angelus, S. Paulus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, universæ Africæ Episcopi Catholici, S. Joannes Papa I. & Martyr, Paulus III. Paulus IV. Pius V. Urbanus VIII. Quorum autoritatem juvenilis consilii stultitiâ infamare nefas judicamus. Suffragantur ad hæc nobis ab antiquo piissimi Impp. & semel atque iterum universi Catholici Imperii Status; denique Catholici Status Hungariæ, omnesque Theologiæ Veteris, solidæque sectatores.

Injuria ve. ò est, infelices successus, præsertim ab Anno 1630. his Theologis adscribere. *Non magis illorum rei sunt, quam Christus furtorum, preditionis, & suspendii Juda, quia ad Consilia Exangelica & Apostolatam illum vocavit.* Quid juris Religio Ca-

tholica habeat in Imperio, quod Officium Cæsaris sit in eo, jure asserendo tuendoque, liberè & solidè exposuerunt. Non hinc fluxerunt infausti successus, sed ex victoriarum abusu, divitum luxu, perfidiâ, & partim desidiâ vel imperitia, pulcherrimarum occasionum neglectu, commeatum rerumque necessariorum nulla provisione, quæ res plures exercitus consumpserunt, quàm hostis cadere potuisset; licentia item militari neglecta nec audita, per quam justissimum bellum in publicum latrocinium degeneravit, aliis denique causis, quas non perinde explicare atque cogitare fas est.

Ad X.

Sententia probabilitas.

Resp. I. *non esse sententiam, sed opinionem*, nullâ ratione Theologica, neque auctoritate legitima, sed præjudiciis ex Pace Religionis conceptis male nixam Rationes allatas veritatis larva detracta falsitatis convicimus Auctoritatem, si qua ostenditur, elidit auctoritas Summorum Pontificum, SS. Patrum & DD. qui ante Pacem Religionis scripserunt. *Neque postea quisquam Theologus produci potest*, qui condiciones ejusmodi Pacis examinaverit & scripto publico probaverit. Præcipuas egregiè refellit *Cardinalis Hosius* in suo ad Paulum IV. responso, quem secutus est *Antonius Possevinus* in Ep. ad Stephanum Regem Poloniæ: Libertatem Religionis Statibus Imperii in dicta Pace concessam, veluti illicitam operosè refutat *Franciscus Burkardus* Archi Episcopalis & Electoralis quondam Colonia Cancellarius, in *Autonomia Germanica*, to. 2. quæst. 3. principali.

Eandem Pacem Religionis damnat, ejus nomine licet non expresso *Martinus Becanus* in Manuali ejusq; Compendio lib. 5. cap. 16. num. 1. *Hac duo distincta sunt. at, 1. Princeps Catholicus concedit suis subditis ut fiant hæretici, vel introducit hæresin, vel introductam confirmat & ratam habet, vel alio quocunque modo positive in eam consentit, & cooperatur.* Princeps Catho-

cus

cus concedit suis subditis, ut fiant hæretici, vel introducitur hæresis, vel introductam confirmat & ratam habet, vel alio quocumque modo positivè in eam consentit & cooperatur. Princeps Catholicus solum permittit, seu tolerat hæreticos in sua Provincia. Princeps nullo modo licitum est: quia hæresis est peccatum, & quidem majus peccatum, quàm furtum, homicidium, adulterium. At Princeps nullo modo potest concedere suis subditis, ut fiant fures, homicidæ, adulteri, neque potest introducere ejusmodi peccata in suam provinciam, neque introducta confirmare & rata habere, neque alio quocumque modo positivè in ea consentire & cooperari. Ergò idem de hæresi dicendum est. Nemo dubitat. Atqui per Pacem Religionis conceditur Statibus & subditis Imperii, ut auctoritate Juris publici fiant hæretici: per eandem Cæsar Statusque Catholici Protestantes in hæresi introducenda juvant: ejus introductionem ratam habent: aliisque modis positivè in eam consentiunt & cooperantur, uti hæcæus demonstratum est. Ergò secundum Becanum nemo dubitat, Pacem Religionis, & quamvis ei similem, quaque illa confirmatur, esse illicitam, Neque hic autor in contrarium nisi injuria allegari potest. Altera enim permissio, de qua postea agit, quamque admittit, non est nisi primi & secundi generis.

Tannerus cum neque affirmet, neque neget, pro neutra parte stat. Alii autores qui permissionem hæresis, ejusque permissionis pactum licitum putant, nullâ adhibitâ distinctione, vel de permissione primi & secundi generis intelligi debent, vel hæc distinctione non observata in errorem lapsi sunt.

Quod contigit autoribus compositionis Pacis. Non attentâ enim multiplici cooperatione, aliisque vitiis, quibus PAX Religionis laborat, eam specie licitæ permissionis decepti, excusarunt: inter Jurisconsultos tamen non Theologos nomen suum professi. Sed nihil præsidii est in hoc libro, tum quia præcipuus autor, testimonio fide digno, hanc pro Pace Religionis sententiam ante mortem retractasse comperitur; tum quia alius Vir præstantissimus, ejus laboris pars non pauca, asserit, sibi semper visum

visum: non posse perpetuitatem Ecclesie Catholicae propriam, hæresis per pactum perpetuum & absolutum quale in Pace Religionis continetur licite concedi; tum denique, quia ob aliquot ejusmodi de memorata Pace assertiones gravem in Liber Romæ censuram subiit, teste Reverendissimo in Christo Patre ac Domino, D. Sebastiano, Episcopo Adramytteno, Cathedralis Ecclesie Augustanæ Suffraganeo & Canonico, qui Romæ fuit Legatus Illustrissimi Episcopi Augustani, cum is liber eò perlatus est.

Resp. II. Etsi mens nostra non sit, seu Principes seu Theologos contrarium sentientes condemnare; utpote quos credamus bonâ fide in re tam arduâ, neque satis antehac explicata, excusari posse, sciamus quæ gloriosum Martyrem Cyprianum cum suis collegis de Baptismo Hæreticorum longè aliter sensisse, quàm Fides Catholica permittat, eumque hunc quasi nævum candidissimi sui pectoris cooperuisse ubere charitatis: dum unitatem Ecclesie toto orbe crescentis & copiosissimè defendit, & perseverantissimè tenuit vinculum Pacis, ut ait S. Aug. ep. 48. Non possumus tamen, quæ principia juris naturalis ac divini à puero audivimus, & ex Scripturis, SS. Patribus, solidaque Theologia hausimus, non loqui, neque consulti aliter quàm secundum ea respondere.

Resp. denique III. Ea quæ adversus Pacem, quam desiderant Protestantes, protulimus ac respondimus, recte Scholastica dici, id est vere Theologica: ex propriis nempe Christianæ Theologiæ, quæ in Scholis tradi deberet, fundamentis, Scripturarum, SS. Potrum, Summorumque imprimis Pontificum sensu & exemplo derivata. Quæ cum seponuntur, quid Theologus ex Theologia producturus sit, aut quam Christianus conscientie regulam secuturus, non apparet.

Non sunt verò argumenta nostra convitio inanis speculationis, quo docentium, non suo vitio, Theologia sæpius infamatur, obnoxia. Hæc enim principia,

Non esse lucrum mundi quærendum cum detrimento animæ;

Non

- Non esse facienda mala, ut veniant bona;
- Non licere cooperari malo seu directè seu indirectè;
- Non exæquandam esse hæresin veræ Fidei;
- Non compellendum quenquam ad ruinam spiritualem;
- Non usurpandam potestatem non suam, sive incompetentem;
- Non violandum officium & juramentum;
- Non agendum frustratorie seu fallaciter;
- Non discedendum à sententia Veteris Ecclesiæ, SS. PP. Summorumque Pontificum:

Praxin Christianæ vitæ & Theologiæ continent. Ab his qui recedit, praxin peccandi, & tandem à verâ fide deficiendi aut docet aut discit. Hæ sunt Theses, quas ad hypothesin (conditionum Pacis à Protestantibus desideratæ singillatim explicatarum) revocavimus: dicta principia per eas apertissimè violari demonstrantes. Quæ si in hæc materiâ contemnimus, nihil causæ est, cur in aliis ea sequamur.

Nec quisquam dixerit: hæc si sciant Protestantes, nullam Pacem inibunt. Istud enim ipsum fidei & Catholicæ veritatis profitendæ præceptum, ejusque implendi tempus est, ut eum inimici Crucis hæresin dignitate, defensione, libertate, perpetuitate veræ fidei exæquari volunt, eaque in ejus contemptum postulant, quæ eidem adversari sciunt, constanter abnuamus.

Certè Lutherani & Calviniani Principes, non credunt Religioni Catholicæ libertatem, qualem ipsi postulant pro suis sectis, à se in suis ditionibus salvâ conscientiam ullo casu posse permitti. Quod sapienter in sua protestatione Status Catholici Hungariæ admonuerunt. Quo autem jure nos concedimus falsitati, quod ipsi negant veritati?

Nec denique causentur Pseudopolitici & Theologi hæsterni, necessariam nunc esse ejusmodi Pacem Religioni & Imperio. Nihil necessarium vel utile putat Christianus, quod non idem sit licitum & honestum. Verissimè dixit Cicero lib. 3 de Officiis, *homines pervertere ea quæ sunt fundamenta natura*

cum utilitatem (imò & necessitatem) *ab honestate sejungunt*. Indignum est arbitrari, necessitatibus publicis, quas plerasque ipsi fecimus aut facimus, non posse aliter subveniri, quam dispendio Religionis, pro quâ omnia dispendia subeunda forent.

Fiat sanè *PAX*, sed licita: nullâ cooperatione cū hæresi, nullâ caritatis Dei & proximi, nullâ denique juris non sui, & officii sui violatione infamis. Noverint Protestantes sectam suam tolerari, Catholicæ autem Religioni æquâri non posse nec debere. Id nisi agimus, *non ita confitemur Christum coram hominibus; ut digni simus, quos ipse confiteatur coram Patre suo, qui in cælis est.* Matth. 10. v. 32.

Nunquam deerit Divina Majestatis auxilium Principi, causam illius fideliter agenti. Quod si maximè tanta vis, tantus etiam esset furor multitudinis, ut sine discrimine ipse Christiani Regis Officio fungi non possit, si cuiquam alteri, sibi maximè Principes dictum existimare debent: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui & animam & corpus potest perdere in gehennam. Hunc qui timet, mortalium timet neminem, nam & defensum iri se illius protectione non dubitat, si sic illi visum fuerit expedire. Hæc si fortè minus defendatur, ut effugiat supplicia majora, non gravatim perferet minora; cum præsertim certo persuasum habeat, illa tantis æternæ gloriæ præmiis iri compensatum, ut eorum contemplatione suos cuique spiritus vilis esse debeat. His verbis Cardinalis Hosius, excusationem FERDINANDI I ex prætensâ necessitate condendæ Pacis Religionis petitam refutavit. Quibus nihil præterea adjiciendum putamus.

SECTIO VI.

Doctrina hæctenus tradita de Pace cum hæreticis
in certas Regulas redigitur.

Licet

REGULA I.

Licet urgente necessitate vel gravi periculo, præsertim Religionis, hæresin tolerare, dissimulando pœnam, & ea quæ ad ejus exercitium sunt necessaria concedendo. Quæ est permissio simplex, sive primi generis.

II.

Licet ex eadem causâ prohibere Catholicos, ne intempestivè hæreticos aggrediendo, vel laceffendo, se & Religionem in majus discrimen conjiciat. Quæ est permissio secundi generis.

III.

Vtraque permissio licita est, vel ad tempus indefinitum, pro iisdem videlicet circumstantiis necessitatis duraturæ; vel determinatum pro certis annis, quibus moraliter certum putatur præsentis difficultates & circumstantias non desituras.

IV.

Licet utramque permissionem dicto modo promittere, sive Pacis causâ pacto firmare: pro iisdem videlicet circumstantiis necessitatis aut periculi. Non est tamen necesse eas exprimere, cum per se insint tali Paci.

V.

Licet & expedit hæreticis Pacis causâ si aliter ea obtineri non possit, generalem Amnistiam seu oblivionem omnium injuriarum & maleficiorum concedere, quæ occasione belli contigerunt.

VI.

Licet necessitate urgente Tempia, Monasteria, aliaque Bona Ecclesiastica hæreticis concedere, si altum sive merum imperium illis non cohæreat, neque vi pacti permittatur Jus reformandi.

VII.

Non licet ullo casu hæresis permissionem absolutè sive in perpetuum promittere aut pacisci. Est enim id hæresi indirectè cooperari, & permissio tertii generis.

V 2

VIII.

VIII.

Non licet sive in perpetuum, sive ad tempus, ullam conditionem Pacis inire, quæ includat cooperationem directam cum hæresi. Nam hoc vel maximè spectat ad permissionem tertii generis, & est multò magis illicitum, quàm indirectè cooperari.

IX.

Non licet Pacis causâ hæresin recipere in Jus publicum, eamque Catholicæ Religioni æquare, in dignitate, libertate, defensione, perpetuitate, &c. Hæc enim suapte naturâ ordinantur ad hæresin augendam, promovendam, stabilendam.

X

Non licet pacisci, ut Jus Religionem mutandi, vel hæresin introducendi, cohæreat alto sive mero imperio, neque concedere, ut vi talis pacti hæretici ditiones Catholicas, hæreditate vel alio juris titulo ad se devolutas, reforment.

XI.

Non licet hæreticis promittere, vel præstare auxilium, aut executionem in hæresi introducendâ, aut Catholicâ Religione expellendâ; est enim participatio actionis criminosa & sacrilegæ.

XII.

Non licet subditos compellere ad hæresin amplectendam, vel injustam emigrationem, neque ad hæc auctoritatem vel auxilium præstare; tum ob causam dictam, tum quia id est directè animas perdere.

XIII.

Non licet Ecclesias & Bona Ecclesiastica hæreticis cedere, vel concedere, aut restituere, ut unâ cum alto sive mero imperio, habeant jus introducendi aut reducendi hæresin, sive reformandi, ut loquuntur. Est enim hoc positivè animarum perditioni cooperari.

XIV. Si

XIV.

SI quidquam Bonorum Ecclesiasticorum hæreticis Pacis causâ concedi potest, absque autoritate & ratihabitione Summi Pontificis id fieri non debet; est enim alioqui usurpatio potestatis non competentis.

XV.

Non licet eandem libertatem, quæ perperam concessa est Confessioni Augustanæ, seu Lutheranismò, concedere Calvinismo; cum enim sit hæresis specie diversa, multoque deterior, nova injuria inferretur Creatori & veræ Religioni, hæcque in majus periculum conjiceretur, &c.

XVI.

Non licet ea absolutè & in perpetuum hæreticis promittere, quæ cum obligatione Officii aut Juramenti pugnant: est enim crimen perfidiæ & perjurii.

XVII.

Non licet Pacem hisce conditionibus, vel aliquâ illarum, quas illicitas esse demonstravimus, imbutam sancire, confirmare, extendere; quia id fieri non potest absque peccato.

XVIII.

Princes & Status Catholici, si multitudo suffragiorum prævaleat, culpâ liberantur, si assensum negent, vel contra protestentur. de cetero pacificè tolerant, quod impedire non possunt.

XIX.

SI Cæsar, Princes, vel alii Status Catholici, bonâ fide crederent, ejusmodi Pacem esse licitam, neque spes foret veritatis ipsis persuadendæ: sine fructu in periculum gravioris peccati conjici non deberent.

Cùm verò difficilè sit, bonâ fide tot præcípia Juris Naturalis Divini & Christiani, reclamantibus præsertim assiduè Summis Pontificibus, ignorari, viderint qui ignorant, & caveant, ne ignorentur ab eo qui nihil ignorat. Ut verò demus talia sine culpâ ignorari, aut non expendi à Principibus, at ægrè se pur-

gabunt Theologi. Quorum labia nisi custodiant scientiam SS. Patrum, Doctorum Veterum, Summorumq; in primis Pontificum verbis, factis, adeoq; decretis consentaneam, periculosè, quantumvis bonâ fide, Principes legem Domini ex ore eorum requirunt. Sed eodem finiamus Epi ogo, que S. Augustinus librum de Perseverantiâ clausit.

Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent ut eorum ille sit doctor interior, à cujus facie est scientia & intellectus. Qui verò errare se existimant, etiam atque etiam diligenter, quæ sunt dicta, considerent: ne fortassis i si errent. Ego autem cum per eos, qui meos labores legunt, non solum doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco. Et hoc per Ecclesiæ doctores maximè expecto, si & in ipsorum manus veniat, dignenturq; nôsse, quod scribo.

Omnia ad majorem DEI
gloriam.



HER-